



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Commentarii Exegetici In Apocalypsim Ioannis Apostoli

Viegas, Brás

Parisiis, 1615

Capvt Septimvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39261

ARGUMENTVM.

Adhuc perseverat secunda visio huius operis. Cum Ioannes superiori capite de multiplici Ecclesia persecutione dixerit, hoc septimo persecutionis finem, pacemque, & tranquillitatem Ecclesie, eiusdemque propagationem non solum ex Iudeis, sed multo magis ex gentibus pronunciat. Quod vero attinet ad visionem imaginariam, narrat vidisse se quatuor Angelos stantes super quatuor Angelos terra, tenentes quatuor Ventos terra, ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arborem. Deinde vidisse alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui, qui clamavit quatuor Angelis, ne nocerent terra, neque mari, neque arboribus, quousque serui Dei in frontibus signarentur. Tertio audiuisse numerum signatorum ex omni tribu filiorum Israel, centum quadraginta quatuor millia, id est, duodecim millia ex singulis tribubus, quae duodecim tantum hoc loco numerantur, quia praetermittitur tribus Dan propter Antichristum, qui ex ea tribu orietur. At vero ex gentibus vidisse infinitam prope modum multitudinem amicti stolis albis & palmas manibus gestantem quae omnia deinceps sunt singularem explicanda.

CAPVT SEPTIMVM.



OSTHÆC vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arborem. Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui, & clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ, & mari, dicens: Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus suis. Et audiui numerum signatorum, centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israël. Ex tribu Iuda duodecim millia signati. Ex tribu Ruben duodecim millia signati. Ex tribu Gad duodecim millia signati. Ex tribu Aser duodecim millia signati. Ex tribu Nephthali, duodecim millia signati. Ex tribu Manasse duodecim millia signati. Ex tribu Simeon duodecim millia signati. Ex tribu Leui duodecim millia signati. Ex tribu Issachar duodecim millia signati. Ex tribu Zabulon duodecim millia signati. Ex tribu Ioseph duodecim millia signati. Ex tribu Benjamin duodecim millia signati. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna: dicentes: Salus Deo nostro, qui sedet super

super thronum, & Agno. Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, & seniorum, & quatuor animalium, & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adorauerunt Deum, dicentes, Amen. Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum, Amen. Et respondit vnus de senioribus, & dixit mihi: Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt? & vnde venerunt? Et dixit illi: Domine mi tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni: ideo sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die, ac nocte in templo eius: & quiescet in throno: habitabit super illos. Non esurient, neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque yllus aestus: quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & adducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.

COMMENTARIUM QVINTVM EXEGETICVM.

De secunda visione Ioannis.

Quinam sint quatuor Angeli stantes super quatuor angulos terræ,
& tenentes quatuor ventos.

SECTIO PRIMÆ.



ARETHAS Cæsareæ Cappadociæ episcopus visionem hanc ad finem mundi retulit, & hos quatuor Angelos bonos esse Angelos, proprièque sumendos, & quæ de ventis hoc loco dicuntur, ad literam, vt verba sonant, intelligenda esse existimauit. Itaque quatuor hosce ventos esse quatuor præcipuos vêtos, qui è quatuor præcipuis orbis partibus, seu angulis, vt ait Ioannes, flare solêt, Subsolanū videlicet ob ortu, Zephyrū ab occasu, Austrum à meridie, Aquilonē à Septentrione: atq; in his quatuor vêtis cæteros intermedios intelligi oportere. Porro super quatuor angulos, seu partes orbis stâtes cômemorari extremis mûdi tēporibus quatuor Angelos, & tenentes ventos, hoc est, ventorū omnium vim, & impetū cohibentes, ne spirent super terrā, neque super mare, neque in vllam arborem: quoniam iis temporibus similibus suppliciis, calamitatibusque afficiet orbem diuina iustitia: quia enim ventorū flatus ad vitam, conseruationemque animantium, imò & ad arborū germinationem, ac fecunditatem multum facit, inhibito omninò flatu ventorum necesse erit omnia interire. Verum hæc expositio nobis minimè probatur: quamquam enim nonnulla in hoc opere, vt verba sonant, accipi queant, vt suis locis annotabimus: quæ tamen hoc capite dicuntur, altiora sunt, & illustriora, quàm vt iuxta verborum sonum Iudaico more

intelligi debeant: id quod, mea quidem sententia, manifestè colligitur ex eo, quod, quæ statim subiiciuntur de Angelo ascendente ab ortu solis, habente signum, seu sigillum Dei viui, signantèque seruos Dei in frontibus eorum, non vt verba sonant, accipienda sunt: nisi quis velit Apocalypsis maiestatem, & visiones omnium, quæ inquam Prophetis ostensa fuerunt, illustrissimas, ac præstantissimas, & talisque rerum altissimarum mysteriis ita deprimere, vt nihil diuinum, nihil sublime, nihil altum, sed inanium ventorum duntaxat flatus spirent. Accedit, quod nec ipsa secum expositio cohæret: licet enim demus, nisi venti spirent, omnes arborum fructus, & animantes perituras: (quod tamen difficile quis crediderit) quid de aquatiliu genere dicemus, quæ non ita à ventis pendent, vt inhibitis ventorum habenis consistere ipsa non possint: & tamen quatuor isti Angeli tenebant ventos, ne flarent etiam super mare.

II

Iam verò, quod quatuor isti Angeli boni Angeli fuerint, imperare mihi non possum, vt credam: nam cum Angelus ascendens ab ortu solis, habens signum Dei viui: qui ad illos voce magna clamauit. *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus quoad vsque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum*, bonus Angelus fuerit, imò & Christum representauerit, vt paulò post dicemus, planè conficitur quatuor illos Angelos non ex Dei præscripto, & imperio, sed potiùs præter eius voluntatem, & consilium, non tamen permissionem ventorum vim flatumque inhibuisse: quod sanè si Angeli boni forent nequaquam facere potuissent. Præterea tamen

D. August.

Deus supplicia interdum per bonos Angelos inferat, vt ait Diuus August. libro nono de Ciuit. Dei capite quinto, perspicuumque efficitur ex illis Angelis,

Genes. 19.

Per malos

Angelos pu-

nit Deus.

Clem. Rom.

D. Hieron.

2. Cor. 6. 3.

Matth. 25. 41.

Angelos indicabimus: vtique malos Angelos: & Matth. 25. *Qui paratus est diabolo, & Angelis eius: & sæpè in hoc opere, vbi sæpè Angelos in malam partem accipi debere vel ipso visionis contextu, rerumque serie cogente demonstrabimus. Parùm etiam momenti habet illud, quod affertur Angelum ascendente ab ortu solis, habentèque signum Dei viui dixisse quatuor Angelis, *Quoad vsque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum*: ex quo illud confici videtur quatuor illos Angelos bonos fuisse, quos videlicet Angelus ascendens ab ortu solis, vtique bonus, tanquam comites sibi asciscit, ac deligit ad seruos Dei in frontibus signandos: illud enim videtur apertè indicare, cum ait, *signemus*, magis que explicare, cum subdit, *Dei nostri*, còmunè Deo sibi, quatuor que illis facies, quæ pariter colant, obseruent, venerentur: parùm, inquam, momenti habet, quia non est necesse, vt Angelus ascédens ab ortu solis, cum dixit, *signemus & Dei nostri*, quatuor illos Angelos in suam societate ad signandū asciscit, còmunèque Deū à se, atque illis coli significauerit: potuit enim de se, aliisque Angelis administris suis loqui, vt planè locutum fuisse arbitramur. Itaque se, aliòsque bonos Angelos socios, comitesque suos intellexit, cum dixit, *signemus, & seruos Dei nostri*. Sit igitur còstitutum quatuor istos Angelos non bonos, sed malos fuisse, ventorum verò appellationem non, vt verba sonant, ad quatuor præcipuos mundi ventos, sed ad sublimiores alios esse referendam, vt ià dicemus.*

Per quatuor

Angelos,

Demones

intellige.

III.

Ansbertus.

Primas.

Est ergo secunda expositio, quam tradunt Ambrosius Ansbertus, Primasius, &

Haymo

Haymo referētes visionem non ad extrema mundi tempora, sed ad tempus illud, quod aduentum Christi, eiusque fidei toto orbe per Apostolos propagationē in quatuor Angelis antecessit, & postea in Angelo ascendente ab ortu solis fuit consecutum: putant enim quatuor istos Angelos esse quatuor malos Dæmones, quatuor mundi imperii, Assyriorum videlicet, Persarum, Græcorum, atque Romanorum præfidentes: ipsa verò quatuor imperia per quatuor ventos accipi debere iuxta illud Danielis 7. *Ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno. Volunt igitur istos quatuor Dæmones tenuisse in manu sua ventos, hoc est, quatuor imperia ne flarent super terram, hoc est, ne aliqui in illis veritatis doctrinam disseminarent.*

Haymo.

Daniel. 7. 2.

Vnde Ansbertus, Propter quatuor, inquit, præcipua mundi regna, in quibus malignorum spirituum principes per idololatriæ culturam regnauit, quatuor in reprobam partem Angeli ponuntur: hoc verò sunt quatuor Angeli, quod quatuor venti. Quamobrem cum Angeli ventos, ne flare debeant, tenent, seipsos vti tenent: & quia Diabolus, omnesque iniqui unum sunt corpus, profecto, & in Angeli, & in ventis ipse intelligitur. Quid itaque sunt quatuor Angeli super quatuor angulos terræ stantes ventos, ne flarent, tenere, nisi occultum aduersarium, eiusque totum omnino corpus ita se inuicem vnire, atque constringere, ita os omnium obstruere, vt ne quis auderet contra idololatriæ superstitionem verbum veritatis efflare? In terra autem diuersitas provinciarum, in mari insularum exprimitur multitudo, in arboribus quoque, quia genus siluit Iohannes, pro earum diuersitate diuersa etiam officia, & conditiones hominum designantur. Illud tamen nobis in hac sententia non parum displicet, quod quatuor ventos quatuor imperia interpretatur: quid enim opus erat, vt quatuor illi Dæmones, aut quatuor orbis principes seipsos, aut subditos suos gentiles cohiberent, ne flaret super terram, hoc est, vt ne aduersus idolorum cultum, & superstitionē insurgerent, veramque fidem, doctrinamque denunciarent, cum ipsa imperia idolis seruirent, nec vlllo pacto ad veram fidem denunciandam conatum vllum adhiberent? at cum quatuor Angeli dicuntur tenere quatuor ventos, ne flarent, illud haud dubiè indicatur quatuor illos ventos conatos quidem fuisse spirare, & flare, & si qua daretur porta, velut agmine facto rucere, sed tamē per vim fuisse à quatuor illis Angelis compressos, statimque eorum coercitum: quare alij videntur venti astruendi, qui ad veræ doctrinæ salutarem flatum emittendum erumpere conentur, & quos opus sit non mediocri vi, atque potentia amittendo flatu cohibere.

Ansbert.

III.

In quatuor

III.

In quatuor Angelis designantur orbis principes. Rupert. Pannon. Carthusian. Carenensis.

Est igitur tertia sententia communior, quæ nobis magis probatur, & quam sequuntur Rupertus, Cælius, Pannonius, Dionysius Carthusianus, Hugo Carenensis, & alij, qui per quatuor Angelos in quatuor terræ angulis constitutos omnes orbis principes accipiunt, posito quaternario & Angelorum, & angulorum terræ numero, in quos totus orbis diuisus est, pro omnibus omnino tyrānis, principibus, dynastis vbique gentium dominantibus, qui à Dæmone principe huius mundi incitati tenebant quatuor ventos terræ, id est, vniuersos Euangelij præcones, eandem ob causam quaternario numero comprehensos, potissimumque propter quatuor Euangelia, partim magnificis sollicitationibus, partim honorificis comminationibus post Christi aduentum, eiusque resurgētis gloriam ab Euangelij prædicatione deterrabant, vt ne vel minimum quidem sacre doctrinæ flatum auderent mortalibus inspirare. *Ne flarent, inquit, super terram, hoc est, homines in quauis orbis plaga, prouinciasque commemorantes: Neque super mare, hoc est, eos omnes, qui in maris insulis habitabant: Neque in vllam arborem, hoc est, eos fideles, qui sese in syluas, abditissimaque loca metu persecutionis abdididerant: vel aliter, cuiuscunque tandem conditionis homines fuerint, siue, inquam, barbari sint, &*

Christus Angelus ab ortu ascendens.

rudes, siue morū suauitate, & elegancia perpolitū, siue humili nati loco, siue illustri latu progeniti, vt videlicet arboris nomen, quemadmodum superiores auctores interpretabantur, pro diuersa, ac multiplici hominū cōditione positum sit. Quos tamen Angelos Angelus ille ascendens ab ortu solis habens signum Dei viui, hoc est, Christus Dominus in uicta suā virtutis potentia compescit: cū ad vniuersos mundi Principes imperiosē clamauit, ne cursum Euangelicā prędicationis retardarent, sed laxis Euangelicis concionatoribus prędicationis habenis sinerent eos liberē in suis prouincijs Christi fidem, religionēmq; disseminare, & siquidem venti erāt caelestes, atque hominibus salutare, vniuersum orbē suā prędicationis flatu, & amēna spiratione perficerent, quē admodū sequenti sectione docebitur.

Concionatores, & doctores per ventos, & nubes significati.
Cant. 4. 16.
Psalm. 134.
Augustin.
Iob 28. 25.

V. torum nomine significari, vt patet ex Canticorum 4. *surge Aquilo, id est, discede Aquilo, & veni Auster, & persua hortum meum, & sument aromata illius*: quibus verbis Ecclesię Doctores ad prędicandum Dei verbum incitantur, vt eorum prędicatione suauissima virtutum omnium aromata colligantur. Eodem pertinet illud Psalmi 134. *Educens nubes ab extremo terra. Qui producit ventos de thesauris suis. Eodem*, inquit Augustinus, *puto prędicatores, & nubes, & ventos, nubes propter carnem, ventos propter spiritum: nubes enim videntur, venti sentiuntur, & non videntur.* De his quoque ventis accipi potest illud Iob 28. *Qui fecit ventis pondus*, hoc est, qui suis concionatoribus dedit humilitatis, & propria cognitionis pondus, ne ex officij magnitudine superbirent: ita enim ingeniosa apes facere solent: illę enim, vt

Plinius.

Psalm. 103. 3.

scribit Plinius libro vndecimo historię naturalis capite decimo, si exoriatur procella apprehensis pedusculo lapillis se librant, ne à vento abripiantur. Quidni de concionatoribus ventos illos accipiamus, super quorum pennas Deus ambulare dicitur Psalm. 103. *Qui ambulat super pennas ventorum.* Verę enim Deus super pennas ventorum ambulare dicitur, non solum, quia per suam prouidentiam celeritē omnia perlustrat, quasi ab alatis ventis tanquā quadrigę suę equis perniciosissimis vehatur, & quia celeritudo est ad nobis opem opportunē ferendam, sed etiam quia eius magnitudo, naturęque sublimitas longē prędicatorum, doctorūque omnium vel subtilissimam aciem superat, ita vt quantumcumque illi sese in sublime attollere, & volare ingenij sui pennis conentur, multo tamen altius Deus per incomprehensibilem suę naturę altitudinem se efferat: quanquam

D. August.

D. Augustinus alid deflexit per ventos animas, per pennas amorem Dei, & proximi intelligens: quo duplici amore omnes virtutes continentur, ita vt Deus dicatur ambulare super pennas ventorum, quoniam quantumuis animę sint prędite virtutibus charitatis: *Quid ad illum, inquit, dilectionem Dei, quasunt dilectio maior ergo in nos dilectio Dei, quam in vllum nostra: nostra dilectio penna nostra sunt, sed ille ambulat super pennas ventorum.* Hęc ille. Cur verò doctores, concionatoresque

Similitudinis predicta rationes.

ventis comparentur, multę rationes afferri possunt. Prima à celeritate ducitur, qua venti isti Euangelici huc, illucque discurrunt, vt veritatem fidei, bonitatemque morum vbique disseminent, quę pręcipuē celeritas in Apostolis resplenduit, qui breuissimo tempore vniuersum orbem peragrarunt. Secunda, quoniam instar ventorum effręnatas hominum appetitiones, veluti prauos humores exsiccant. Tertia, quia peccatores, profligata que vitę homines quasi nubes in Ecclesię cęlo excitant, quę deindē per compunctionem, ac pœnitentiam in frugiferum lacrymarum imbrem resoluuntur. Denique quia sacrę scripturę difficultates quasi obscuras nubes è cęlo Ecclesię dispellunt, ac dissipant, solē que, hoc est verum Diuinatum literarum sensum, & intelligentiam patefaciunt.

Quis

Quis sit Angelus ille ascendens ab ortu solis, habens signum Dei viui.

SECTIO II.

Postquam Ioannes conspexit quatuor illos Angelos, qui quatuor terrarum ventos, ne flarent super mare, terram, vllamue arborem, coërcebāt, quos vniuersos orbis principes impediētes Euangelicorum ventorum prædicationē interpretati sumus: vidit alterum Angelum ascendentem ab ortu solis habentē signū, hoc est, sigillum Dei viui. (sic enim habent Græcè *σφραγίδα*, id est, sigillum) qui clamauit voce magna quatuor illis Angelis, quibus datū, hoc est, permissum est, nocere terræ, & mari, dicens. *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quæ ad usque signemur seruis Dei nostri in frontibus eorum.* Consentiant omnes interpretes, D. Ambr. Rupertus, Ansbertus, Haymo, Pannonius, Richardus, Primasius, Dionysius Carthulianus, Hugo Carcensis, & alij Angelum istum ascendentem ab ortu solis Christum Dominum esse, qui omnium orbis principum vim, atque tyrannidem, qua cursum Euangelicæ prædicationis inhibebant, admirabili virtute, & potentia ita compressit, vt visus quodammodo fuerit illis imperiosè clamasse, ne Apostolicorum ventorum flatum coercerent, sed sinerent Euangelij præcones liberè in suis regnis, ac prouincijs cursitare, fidemque suam, ac religionem, omnibus amplectendam proponere. Dicitur verò Christus Angelus, hoc est, sicut eum Esaias c. 9. appellat: *Magnum consilij Angelus. Ascendens ab ortu solis*, vel quoniam, vt habes apud Zachariam cap. 6. ipse Oriens quoque dictus est, vt eo loco explicauimus: vel quia cum sese ab inferis viuum, gloriosumque excitauit, ex quo potissimum tempore Euangelij prædicatione cepta est, quasi ab ortu ascendere, hoc est, quasi nouus sol oriri merito videbatur. *Habens signum Dei viui*, seu vt ait Rupertus, quoniã verbis, miraculisque palàm fecit se verum, naturalémque esse Dei filium: *seu habens signum*, hoc est, sigillum Dei viui, quia Pater omne iudicium dedit filio, & amplissimam in cælo, terræque potestatem, vt omnia, quæ vellet, posset tanquàm Princeps eodem Patris sigillo obsignare, & confirmare, signareque pro suis, quicunque in ipsum credidissent: quod adumbratum fuit Genes. 41. in Ioseph, cui Pharaon annulum suum dedit signatorium, vt pro se vniuersas Aegypti prouincias gubernaret. Tùm verò commemorat Ioannes numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia ex omni tribu filiorum Israël, & infinitam ex omnibus gentibus multitudinem, quæ ab Angelo illo signata fuit sigillo fidei: qua visione explicata est innumerabilis eorum multitudo, qui Christi fidem, ac religionem receperunt, vt ex iis, quæ inferius dicemus, fiet illustrius.

Signum Dei, quid.

Interpretes.

Esaias 9 6.

Zach. 6.

Cur Christus Angelus ab ortu solis ascendens.

Rupert. Pater omne iudicium dedit filio. Genes 41. Potestas Christi.

II.

Accipe totius huius loci interpretationem ex diuo Ambrosio in commentarijs super Apocalypsim, quæ nostram hanc confirmat. *Alter*, inquit, *Angelus ascendens ab ortu solis* Christus est, de quo scriptum est Esaiâ nono, *Et vocabitur nomen eius magnum consilij Angelus. Ipse est sol*, de quo dictum est Malachia quarto, *Vobis autem timentibus nomen meum orietur sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius. Ab ortu solis* Christus ascendit, id est, à semetipso, quoniam non ex concubitu viri carnem assumpsit, sed à semetipso, qui vtrique sibi carnem immaculatam ex carne virginis procreauit. *Signum autem Dei viui est Christi Diuinitas*, nam in carne postus signum Dei viui habuit: quia ea opera gessit, quæ demonstrabant eum vnicum esse Dei filium, sicut ipse dicit Ioannis 5. *Opera, quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me. Sequitur, Et clamauit quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ, & mari, dicens. Nolite nocere terræ, & mari, neque*

D. Ambros.

Esai. 6 1.

Malach. 4 2.

Ioan. 5 36.



arboribus, quoad usque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum. Clamasse Dei fecisse dicitur: etenim aduentu suo fecit, ut Romani ab infestatione generis humani cessarent, iheretique pax per uniuersum orbem, sicut dicit Psalmista Psal. 71. Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis: donec semina fidei per uniuersas gentes spargantur, ac signaculo fidei ij, qui praerodinantur ad uitam eternam, signarentur. Hæc Ambrosius.

Alia de quatuor præcedentibus Angelis probabilis expositio ad Constantini Magni imperium pertinens commemoratur.

S E C T I O. III.

I. Quamuis ea, quam superioribus sectionibus tradidimus, communis sententia nobis reliquis omnibus excellere videatur, non reiicienda tamen videtur illa, quæ hanc visionem ad Constantini imperium refert: quo tempore mirè in modum religio Christiana floruit, & in omnes Romani Imperij prouincias propagata est, quam idcirco prætermittendam non duximus: eam tradunt, ac sequuntur Lyranus, Petrus Aureolus, Cardinalis, & alij. Vt etò melius intelligatur, meminisse oportet exiis, quæ superiori capite diximus, Diocletianum, & Maximianum postquam per viginti annos imperij clauum tenuerant, sese eodem die imperio abdicasse, & in suum locum imperatores nominasse Constantium cognomento Chlorum, & Galerium Maximianum cognomento Armentarium: tunc verò prouinciis inter se distributis Constantium quidem Occidentis, Galerium autem Orientis imperia, Africam præterea, & Italiam obtinuisse. Illud etiam replicare oportet Constantio eo tempore defuncto successisse in imperiū Occidentis Constantinum eius filium: Galerium autem partiendi laboris causa Cæsares appellasse Seuerum, quem Italia, & Africa præfecit, & Maximinum ex sorore nepotem, cui imperium Orientis commisit, Græciam, & Illyricum sibi reseruans, & ipsam supremam Imperatoris potestatem, cui duo illi Cæsares essent subiecti: ubi iam cernis orbis imperium simul à quatuor Imperatoribus eodem tempore administratum, videlicet à Constantio, & post eius mortem à Constantino, Galerio, Maximino, & Seuero. Denique repetendum est milites prætorianos, qui Roma erant, absente Seuero, cuius illis administratio displicebat, Imperatorem appellasse Maxentium Maximiani, qui imperio renuntiauerat, filium: atque adeo quinque iam erant Imperatores, si Cæsares numeres: cui rei cum Seuerus obuiam ire pergeret, casum occubuisse: itaque Galerius eius loco appellato Cæsare, Licinio aduersus Maxentium ire parat, sed re infecta in Illyricum reuertitur, ibique moritur: quo mortuo Licinius se Imperatorem nominauit.

II. Igitur per quatuor Angelos intelligendos aiunt quatuor illos Imperatores, Galerium, Maximinum, Seuerum, & eo mortuo Licinium, & Maxentium, qui in quatuor angulis terræ, id est, in omnibus suæ ditionis prouinciis Ecclesiam diuexabant. Etenim Licinius, quamuis initio pacificus fuerit, postea tamen acerrimus euasit fidelium persecutor, quamquam verò impij fuerunt nihilominus appellatur Angelus, id est, ministri persecutionis. Visi sunt tenere ventos, ne flarent super terram, neque super mare, neque in ullam arborem, quia eò tempore impediabant prælatos, Doctores, & conuocatores Ecclesiæ, ne Christi fidem prædicatione disseminaret: imò ut ne ipsos quidem fideles etudirent, qui non solum in terra habitabant, sed metu persecutionis in remotissimas maris insulas fugiebant, & sese etià abdebant in syluas: quâ ob causâ fit hoc loco mentio terræ, maris, & arborum.

Lyranus, Petrus Aureolus, & alij.

Quatuor Angeli, quatuor sunt Imperat.

Cur hoc loco terre maris, & arborum fit mentio.

Postquam verò Ioannes vidisset quatuor illos Angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentēque quatuor ventos terræ, ne flarent super terram: vidit etiam alterum Angelum ascendentem ab ortu solis habentem signum Dei viui, qui clamavit voce magna quatuor superioribus Angelis. *Nolite, inquit, nocere terræ, & mari, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* Hunc Angelum putant esse Constantinum Magnum, qui quatuor prædictos Imperatores ad Ecclesiam persecutione cohibuit: is enim Maxentium, tamen si fratrem Faustæ uxoris suæ tyrannicè Romæ imperantem accersitus ex Gallia à Senatu inuito fœdere cum Licinio, collocatâque illi Constantia sorore, coacto exercitu, animatusque cælesti signo crucis diuinitus ipsi in cælis ostenso collatis signis profligauit. Tunc verò quamprimum Constantinus commouit Licinium, ut in defensionem catholicæ fidei conspiraret: de eadēque re literas scripsit ad Maximinum Orientis Cæsarem, quibus etiam inuitus paruit: reliqui etiam à persequenda Ecclesia destiterunt: imò antè hanc victoriam iam Galerius de Constantini consilio persecutionem cessare mandauerat rescissis omnibus legibus, quas contra Christianos antè tulerat. Præterea Maximianus Constantini socer iterum ad imperium reuerti cupiens, Constantinumque decernens per prodicionem oberuncare, detectis infidiis fuerat iussu Constantini interfectus. Diocletianus etiam, quod crederetur fauere Maxentio asperioribus Constantini, & Licinij literis reprehensus prætristitia dicitur obiisse: aut, ut alij volūt, se ipsum veneno peremisse. Denique ipsum Licinium aduersus Christianos iterum se uientem Constantinus bello primum vicit: deinde occidi præcepit: tunc verò summa imperij vni Constantino cessit. Itaque rectè dicitur Constantinus clamasse quatuor Angelis, ne terræ, mari, arboribusque nocerent, quia omnem Ecclesiæ persecutionem magnitudine animi admirabili, & potentia compressit, & quasi imperiosè clamavit quatuor Imperatoribus nominatis, ne Ecclesiæ nocerent, cum eorum aduersus Ecclesiam conatus non solum retardauit, sed etiam repressit, dispulsisque præcedentium temporum tenebris noua luce Ecclesiæ cælum serenauit: quam ob causam apparuit ascendens ab ortu solis, quia instar solis orientis lucem seculi Ecclesiæ attulit. Denique quod subiungitur, *Habentem signum Dei viui*, clarius est, quàm ut explicari debeat: quis enim nescit Constantino crucē dominicā, quæ hoc loco signū Dei viui appellatur, diuinitus in cælo ostensam fuisse, ipsumque Constantinū vexillū quoddā militare, quod labarū dicebatur in formā crucis efformasse, quod in præliis præferri mādauit: quæ omnia, quia illustrissima fuerūt, & ad hanc visionē intelligendā maximè pertinent, peculiarè per se sectionē desiderāt.

Angelum signum Dei habentem, Constantiniū patet aliqui.

De vexillo crucis, quod Constantino Magno diuinitus in cælo apparuit.

SECTIO IV.

Narrantigitur Eusebius lib. 1. de vita Constantini, Niceph. lib. 7. cap. 29. Zonas in Constantino, Senatum, populūque Romanum Maxentij tyrannide incitatum Constantinum in Gallis agentem per oratores obsecrasse, ne urbem imperij matrem, & caput negligeret, sed eam à Maxentij sequitia ac tyrannide liberaret: ea legatione Constantinum commotum scripto, & coactu exercitu in Italiam aduersus Maxentium contendisse. Quoniam verò haud ignorabat sapiens piusque Imperator potiore sibi auxilio opus esse, tum quodd multò ma-

Eusebius. Nicephor. Zonas.

iores copias haberet Maxentius, tum propter maleficas, & magicas incantationes, quæ apud eum tyrannum exercebantur, Deum sibi querendum adiutorem putavit, eius præsidium dumtaxat inexpugnabile esse intelligens: cogitat igitur quem Deum potissimum implorare debeat, quod dum cogitat, subit animum eius talis cogitatio; cum plures antea imperio potiti essent, illos quidem, qui plures Deos coluerant, eisque hostias, victimasque litauerant, falsis vatum diuinationibus, Deorumque oraculis delusos nullum è cælo auxilium sensisse, quin potius multis calamitatibus, & infelicibus rerum omnium conuersionibus implicatos miserimè periisse: solum verò patrem summ Constantium Chlorum spretis Gentilium superstitionibus vnum Deum vniuersitatis huius effectorem, molitorémque agnouisse, atque in eo spes omnes suas cum collocasset, semper eum propitium, ac facilem, inuictumque imperij seruátorem expertum fuisse. Cum igitur hæc omnia secum tacita cogitatione versaret, reiecta Deorum illorum omnium turba paternum sibi Deum colendum esse existimauit: quare cum assiduis precibus inuocabat, rogabatque, vt sibi quisnam esset, ostenderet, rebusque suis opem, & auxilium afferret.

II.
Eusebius.
Constantino
trophæum
crucis appa-
ret.

Per formam
Christum cū
cruce videt.

Hæc oranti ostentum quoddam diuinum, atque planè admirandum apparuit, quod Imperatorem ipsum sibi iureiurando confirmasse testatur Eusebius loco citato. Aiebat namque se post meridiem in cælo supra solem trophæum crucis è luce constructum, & dissoluta inscriptione, *εϋ τϋ τρωιχα*, hoc est, *In hac vince*: quo conspecto se, & totum exercitum fuisse stupore correptum: cumque ipse cogitabundus de tanto prodigio multa animo volueret, nocte insequenti dormienti sibi Christum vnà cū signo, quod in cælo viderat, apparuisse, præcepissetque, vt aliud simile sibi iuxta formam in cælo ostensam compararet, illudque contra hostium impetum in exercitu ferret certissimum signum victoriæ futurum: mox ubi surrexit, conuocatis auri, ac lapidum pretiosorum opificibus in eorum medio sedisse, imaginemque signi, quod viderat, manu sua adubrasset, mandassetque, vt auro illam, ac lapidibus pretiosis exprimerent; fuit verò signum in hanc figuram elaboratum, quemadmodum se Eusebius vidisse confirmat. Erat hasta in sublime erecta, auroque circumdata, cornu habebat transversum ad formam crucis efformatum: superne in summo apice corona ex lapidibus pretiosis, & auro contexta, sub quo erat salutaris appellationis symbolum duobus solū elementis, id est, duabus primis literis Græcis nominis Christi, P. litera in medio literæ X. subtiliter inserta, quæ totum Christi nomen perspicue significabant: quas quidem literas deinceps semper Imperat. in galea gestare conlueuit. In transuerso cornu, quod in hasta transixum erat, velamè quoddam pendebat, regalis scilicet purpura, quæ varietate pretiosorum lapidum inter se coherentium, ac splendore lucis fulgurantium, auroque multo inserta admirabilem exhibebat spectantibus pulchritudinem. Itaque velum hoc de cornu pendens longitudine, ac latitudine mensuram crucis exæquabat: ipsum verò hastile oblongum versus initium longè erat protractum, superne autem in sublime sublatum sub crucis trophæo ad extremitates vsque circumdantis illud veli Imperatoris imaginem ad pectus vsque auream vnà cum liberorum imaginibus præfererebat.

III.
Eusebius.
Sozomenus.

Atque hoc salutari signo Imperator ad cuiusuis aduersariæ, & hostilis potentie vltionem utebatur: cuius similitudines expressè mandauit, vt antè omnem exercitum præferrentur: imò refert Euseb. lib. 2. de vita Constantini, & Sozomenus lib. 1. hist. Eccles. cap. 4. non solum mandasse Constantinum, vt hoc vexillum exercitus suos omnes præiret, sed etiam, vt laborantibus in prælio aciebus adesset, deputassetque nobiles quosdam ex satellitibus, quorum id munus esset, vt per

vices id signum humeris suis ferrent, & acies hostium circuirent. Fertur autem, inquit Sozomenus, quempiam ex vexillis feris signum hoc aliquando gestantem, propter reperi-

Crucis miracula.

Christus purpureum gemmani textus in auro signabat labarum, clypeorum insignia Christus scripserat, ardebat summis crux addita crifis.

Eusebius. Prudentius.

Statuam etiam Constantinus sibi erigi Romae mandauit, quae crucis signum manu ostentaret. Sed quaerat merito aliquis, unde labari nomen ortum habuerit? Euseb. Caesariensis lib. 2. de vita Constantini innuit dictum ita esse, quod in certamine laborantibus opem ferret: agens enim de victoria, quam Constantinus de Licinio reportauit, haec habet. Cum Constantinus huiusmodi sermones locutus esset, exercitum ad praedium procedere iussit: quo facto ostentum quoddam mirabile circa ciuitatem tyranno subiectis apparuisse ferunt, nempe varias armatarum Constantini acies in ipso meridie ciuitates, quasi quae iam bello vicissent, pertransire, idque sum visum est, cum re vera nemo militum illius usquam compareret: ubi autem exercitus praedium attigerunt, primum bellum ortus est, qui amicitia foedera ruperat: hic Constantinus inuocato Deo seruatore omnium, datoque hoc armatis circa se signo bellico primam aciem deuicit: deinde non multo post etiam altero confictu superior factus potiore victoria salutari trophaeo, aciem ipsius praecedente potius est: cum hoc igitur confictum esset, orta est aduersariorum fuga insequentibus victoribus. Quod cum Imperator cerneret, sicubi aliquem exercitus sui aciem laborare, defatigarique videbat, eo salutare trophaum, quasi auxiliare quoddam medicamentum deferri iubebat, cum quo confestim apparebat victoria, simulque in certamine laborantes fortitudine, ac robore diuino accedente nunc confirmabantur. Haec Euseb. qui cum dicat signum illud quasi salutare quoddam medicamentum deferri solitum laborantibus in acie militibus, illucque quamprimum transferri, ubi acies laborabant, indicat dictum fuisse labarum a leuando labore, aut ab adiuantibus in acie laborantibus: idemque habet Sozomen. lib. 1. hist. c. 14. quin & Greg. Nazianz. oratione prima contra Iulianum idem nominis etymon tradit: expones enim quomodo Iulianus Apostata labarum tanto habitum ante in honore aboleuerit, sic ait. Quin eo audacia quoque prorupit, ut aduersus magnum illud vexillum praecipit ferretur, quod simul cum cruce magnifice, & cum insigni pompa exercitum ducit in sublime euectum, quod soluentium laborum vim habet, ab eoque apud Latinos nomen trahit. Putat verò Cardinalis Baronius tomo 3. Annalium, voluisse significare Gregor. labari nomen deductum esse a voce Latina Labor, & a Graeca ὄπος, quae terminum significat, ut idem sit labarum, atque laboris ὄπος, seu laboris terminus: quae nobis sententia non omnino satisfaciunt, cum nomen labarum a Latinis, ut ait Greg. impositum fuerit: illi autem non ita nomina tolerent effingere, ut ea ex Latino simul, & Graeco serm. conflarent: potius credimus labarum Latinum dumtaxat esse nomen ad id Constantinianum vexillum,

III. Vnde labari nomen ortum. Eusebius.

Sozomen. Greg. Naz.

Baron. Card.

quod descripsimus, exprimentum noua vocis institutione efformatum, per antiphrasim ab arcendis laboribus, seu laborantibus adiuuandis in acie appellatum.

V. Porro cum multa essent vexillorum genera apud Romanos, de quibus fuscus agit Vuolfanguus Lazius libro septimo Commentar. Romanæ Reipublicæ cap. 5. erat vnum præcipuum, quod ante ducem exercitus præferbatur, idque duplex, vnum rubeum, quod erat ipsius ducis, siue Imperatoris, & flammeum à colore dicebatur: alterum totius exercitus aureum, gemmisque, atque vnionibus exornatum, quod proprio vocabulo labarus, seu labarum appellabatur, & Procopio lib. 4. historiæ Gothicæ pandum. Adrianus Turnebus lib. 15. aduersariorum cap. 16. ait: se in vetusto lexicò etiam laborum reperisse: & ita scribi apud Sozomenum lib. 9. historiæ Ecclesiasticæ cap. 4. *Ἰδὲρον δὲ πῶν οὐκ ἔστι παρὰ βασιλεὺς ἀλάτωρον καὶ λαβάρου*: labari vtuntur D. Ambr. & Tertull. in Apologetico cap. 16. *Ἰσπαρά*, inquit, illa vexillorum, & labarorum stola crucium sunt. Vexillum igitur Romanorum, quod antea iam labarum dicebatur, Constantinus Magnus crucis figura, numineque Christi per compendium literarum exornauit, eoque præcedente aduersus Maxentium aciem instruxit, vt paulò superius diximus: id quod elegantibus carminibus cecinit Aurelius Prudentius libr. 1. de potentia crucis contra Symmachum.

Aurelius Prudentius.

Hoc signi in istis transmisit Alpibus ultra
Seruitum. soluit miserabile Constantinus.
Cum te pestifera premeret Maxentium aula,
Testis Christicola ducis aduentantis ad urbem
Miluus exceptum Tyberina in stagna tyrannum
Præcipitanti, qua nam victricia viderit arma
Maiestate regi, quod signum dextera vindex
Præulerit, quali radiarint stemmate pila.
Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabit labarum, clypeorum insignia Christus
Scripserat, ardebat summis crux audita cristis.

VI. Preterea tam eximius crucis cultor fuit Constantinus, vt quemadmodum refert Eusebius lib. 3. de vita Constantini, nunc vultum suum salutari signo communiret, nunc victoria trophæum ostentans, quod & in picta tabula quadam altissima, & præ foribus imperialibus suspensa omnium oculis visendum proponeret, depictumque salutare signum capiti suo imponi, inimicam verò, & hostilem feram, hoc est Dæmonem, quæ Ecclesiam Dei per impiorum hominum tyrannidem vastauerat, in forma draconis in profundum deprimi fecerit: draconem enim eum, ac tortuosum serpentem diuina oracula appellant: quapropter imperator draconem hunc suis, ac suorum pedibus subiectum, iaculoque circa medium veteri transfossum, ac maris fundo iniectum per ceratam confectum figuram cunctis ostendebat, quem & virtute salutaris trophæi, quod super caput ipsius suspensum erat, ad profundum perditionis cecidisse significabat. Itaque diuino instinctu afflatus his imaginibus expressit, quæ Prophetarum vaticinia multo aste prænunciauerant, Deum videlicet gladium suum magnum, & forte auersus serpentem veterem educturum, ac draconem, qui in mari est, interfectorum, vt habes apud Esaiam cap. 27. Narrat quoque Euseb. lib. 7. de vita Constantini tantam fidei vim diuino quodam instinctu in eius animo defixam fuisse, vt in aureis nimis imaginem suam ita in sculpi curauerit, vt expansis manibus instar præcantis cælum cõtueri videretur, quod genus, inquit, numi hac effigie sculpi per omnes Romani imperij gentes volitabat.

Esai 27.
Eusebius.

Felicitas

Fœlicitas Ecclesiæ, fideique propagatio sub Constantino Magno describitur.

SECTIO V.

QVAM verum sit illud, quod sacrarum literarum monumentis consignatum ^{I.} *Prover. 22. 8.* legitur Proverb. 22. *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud:* Constantinus Magnus suis factis expressit, quæ non nisi flectente, & inclinante cor eius Domino efficere omnino potuisset: ad arcana verò diuinæ providentiæ pertinet, quòd nullum superiorum Romani Imperij principum Deus ad tantæ fœlicitatis fastigium eligere instituerit, ut eximiis, & præclaris officiis apud vniuersam Ecclesiam collocatis miro sibi modo Dei amorem, & benevolentiam conciliaret, nisi vnum Constantinum, cui id singulare beneficium de industria, sicut Sauli Regi dixit olim Samuel, seruatum fuit. Præcesserāt omnes illi, quos commemorauimus, procellosi grauissimarum persecutionum turbines, turbulentiæque tempestates sæuientibus subinde tyrannis excitatæ, fidelium pacem per vniuersas imperij prouincias turbauerant: eadem furentium ventorum procella Christianorum templa in Dei cultum magnis vbique sumptibus, laboribusque erecta radicitus conuulserat, & deles ipsi vi debacchantium turbinum abrepti exquisitis vbique cruciatibus discerpti, ac dilaniati omnia solaterrarum, in quibus grassabatur tempestas, sanguine suo per summam impietatem fuso miserimè cruentabant: denique nox atra cælum, solémque oculis eripiens cum summo omnium mœrore, & luctu vniuersæ Ecclesiæ incubabat: cum Constantinus Magnus faustis, ac fœlicibus caelestis numinis auspiciis tanquam sol Ecclesiæ fulgentissimus illuxit, qui dispulsis tenebris suæ luce, & splendore Ecclesiæ cælum collustrauit, ventorum inhibuit vim, tempestatem sedauit, collapsa non modò templa iterum crexit, sed alia de nouo verè imperatoria liberalitate, & munificentia multo illustriora, opulentioraque per omnem imperij ditionem exadificauit, superiorum Imperatorum aduersus Christianos edicta omnia rescidit, noua que sanxit, atque vulgavit illustrissimam religionis nostræ commendationem, eximiósque fidelium fauores, & priuilegia continentia: ex quibus idcirco operæpretium duximus nonnulla decerpere, ut omnes videant, quanto iure præsentem visionem ad Constantinum Magnum referendam arbitremur.

Est igitur huiusmodi Constantini edictum pro Christianis apud Eusebium libro secundo de vita Constantini. *Victor Constantinus Maximus Augustus Prouincialis* ^{II.} *Constantini edictum pro Christianis* *Palæstina. Cum tam grauis impietas res humanas occuparet, ac Respublica quasi pestifero quodam morbo penitus per denda periclitaretur: vide quodnam leuamen Deus, liberationemque a malis excogitasset? Ministerium meum voluntati suæ accommodum requisit, qui inde à mari Britanno, & illis orbis partibus orsus, potentiore quadam virtute cuncta illa, quæ orbem premebant, mala repulit, ut simul & genus humanum ad sanctissimæ legis culturam meo institutum ministerio reuocaretur. & fides beatissima sub potiore ductore cresceret: hand enim sic ingratus esse velim, ut debitam gratiam, optimum scilicet ministerium negligam, hoc mihi donum concessum credens, per quod etiam ad Orientis usque regiones progressus sum. Quotquot itaque propterea quòd honorem caelesti numini debitum, ac fidem non neglexerunt, cui scriptis totis animis consecrarunt, sanctis iudicium sententiis subiecti patriam exilio commutarunt, quibus curæque temporibus id perpepsi sint, vel si qui curialium catalogo adnumerati sunt, priorem illorum* *apud Euseb.*

numerum non adimplentes, hi patrii locis, ac consueta quieti restitui, omnium liberatori Deo gratiarum actiones persoluant: aut si qui bonis suis spoliati, & vniuersarum facultatum iactura oppressi, magisquam hactenus vitam egerunt, y antiquis sedibus, cognationibus, & facultatibus redditi Diuina beneficentia cum gaudio perfruantur. Quin etiam quotquot insula prater animi sententiam detinentur, hac providentia nostra frui precipimus, ut qui hactenus difficultibus montium locis, ac circumfusi mari fuerunt, in amana, & immensi solitudinis libertate iucundissimis sese locis restituunt, sicuti desiderant, compotes euadant: & qui pauperulam vitam multo tempore in sordibus egerunt, hi cupide, ac rapim ad suos reuersi, & curi in posterum liberi absque metu apud nos viuant, qui nos Dei, & gloriamur, & credimus esse seruos. Quotquot igitur ita condemnati sunt, ut in laboriosis metallorum officinis laborent, vel operibus publicis seruiant, continui labores dulci otio, faciliorque vita commutantes, immoderatas laborum molestias in placidam quietem conuertant. Quin etiam si qui olim militaribus dignitatibus probati, illi propter atrocem, & iniustam causam exciderunt, eo quod diuina cognitionis confessionem dignitati, quam habebant, praterulerunt, horum liberum sit exipitio, vel si militiam affectant, in gradu, quo fuerunt, manere, vel cum honorifica dimissione in libertate agere: decet enim, ut qui tantam magnitudinem aduersus obiecta pericula offerant, otio, si uolet, & honore pro ipsius arbitrio fruatur. Ad hac quotquot nobilitatis prerogatiua priuatis talem aliquo pacto iudicum sustinuerunt sententiam, ut vel in gynacia, vel texenda, officinas iniecti in iucundum, ac miserum laborem serant, hi cum honorum, quibus antea potiti fuerant, tum libertatis bonis gaudentes, & ad pristinas dignitates reuocati cum omni deinceps animi alacritate vitam ducant: & qui libertate in seruitutem commutata insuetaministeria obire se deplorat, ut ipse quod subito se libero seruum factum esse videat, pristina secundum præsens hoc nostrum institutum libertate recepta genitoribus suis sese restituat, eosque labores obeat, qui liberum hominem decet. Adysienda sunt autem facultates, non quibus variis sint, & aliis de causis priuatis, sed siue quidam optimo, ac diuino martyrii certamine tolerato imperterrita, & virili mente bonorum spoliationem sustinuerunt, & in confessione perdurantes aeternam sibi ipsis spero compararunt, siue aliquo demigrare coacti, & quoniam persecutoribus non cesserunt, ut fidem perderent, facultatibus suis priuati sunt: vel si quidam morti adiudicati spoliationem bonorum suorum tulerunt: horum facultates cognatas restituendus esse precipimus. Est autem omnino cognitum facile, quibus propinquioribus inter cognatos hereditates competant, cum de his ipse leges statuunt. Si uero nemo ex propinquioribus superstes fuerit, ita ut nemo adsit, siue martyrum, siue confessorum, siue eorum, qui ob eiusmodi causam in exilium amandati sunt, haec eiusque loci Ecclesia perpetuo deputata sit ad eius successione hereditatem: nec erit id ullo pacto graue mortuis, si camfortiantur heredem, cuius gratia omnis generis labores peritulerunt: quod si praeceptorum aliqui de facultatibus non nihil, quibus voluerunt, largiti fuerint, rationi consentaneum est, ut propria illis maneat possessio. Ne vero error aliquis in hoc appareat edicto, sed in promptu sit cuius, quod aequum est, cognoscere, sciendum est omnibus siue agrum, siue domum, siue hortum, vel aliud quid praeceptorum possederint, bonum ipsis, & utile fore, ut id consecantur, & illis quam citissimè restituant. Quapropter etiam si videantur quidam illorum ex iniusta possessione multum tulisse emolumentum, huius repetitionem nos non iudicamus esse iustam, ita tamen, ut ipsi quaecumque, & unde collegerint, agnoscentes, ignoscant sibi à nobis petant. Quaecumque Ecclesiae rectè competere videbuntur, siue domus sint, quae possidentur, siue agri, siue horti, siue alia quaecumque, nullo eorum quae ciuitatem hanc concernunt, iure diminuto, sed cunctis integrè permanentibus restitui precipimus: quin & ipsa loca, quae martyrum sunt corporibus honorata, & monumenta gloriosi secessus existunt: quoniam Ecclesiae competere dubitabitur non recipiet etiam, quando nec melius sit donum, neque gratiosior labor, plusque utilitatis habens, quam diuino dirigente spiritu de his rebus esse sollicitum, ac quae malis sunt praetextibus à flagitiosissimis uiris ablatae,

ablata, sanctis Ecclesiis sicuere, ac vindicare? Quoniam igitur euidentissimis, & clarissimis demonstrationibus omnipotentis Dei virtus resplenduit, admonitionibusque simul, & auxilijs, quæ propter me crebro conferre dignatus est, quibus molestiam illam, quæ antea vniuersas res humanas obrinebat, ex vniuerso orbe, qui sub cælo est, expelli contigit, singulique iam, & vniuersi simul diligenti cura considerant, quam non sit illa potestas, quæ semen illud, vti dicam, flagitiosissimorum hominum amolita est, & euerit, bonorum verò læticiam reuocata ad quasuis regiones abundè prorogauit, ac rursus diuinam illam legem cum omni reuerentia conuenienter coli, illisque, qui se ipsos ad hoc consecrarunt, vt hanc conuenienter colant, plenam potestatem largita est, qui perinde atque è densa quadam caligine conspiciunt, perspicuam literarum scientiam nacti conuenientem posthac cultum, piùmque, & consentientem honorem circa eandem ostendent.

Atque hæc quidem ad Palæstinos Constantinus: quæ omnia imperabat, perfecta sunt. Deinde verò Gentibus per provincias sparsis duces mittebat maiori III. parte saluari fidei amicos, qui verò Gentilismum sapere videbantur, iis sacrificandi facultas negabatur. Eadem lex Duces, ac præfides ita frænabat, vt eis si Christiani essent, iniungeret, vt tam excellenti appellationi facta responderent; si verò aliter essent animati, omninò simulachrorum cultum interdiceret. Postea duæ aliæ quoque leges lætæ sunt, quarum vna prohibebat vniuersis idolorum cultum: Altera mandabat, vt oratoriorum, quæ dicebantur, ædificia erigerentur, templa antea vel diruta, vel collapsa instaurarentur, aliæque de nouo tum quoad longitudinem, tum quoad latitudinem ampla, & magnifica extruerentur: neque hac in re sumptibus, & expensis vlla ratione parceretur, sed si opus esset ex ipsis Imperatoris thesauris, & vectigalibus necessaria pecuniæ suppeditarentur: quæ de re libet hoc loco adscribere edictum, quod ad Eusebium Cæsareæ Palæstinæ Episcopum misit, vt ipse met testatur secundo libro de vita Constantini. *Vltor* *Litere* *Con-*
stantinus Maximus Augustus Eusebio: Quam ad hoc usque temporis impia illa sententia,
tyrannideque ministros seruateri persequente cunctarum sint Ecclesiarum ædificia vel propter
incuriam labefactata, vel metu imminenti iniquitatis vendibilia, ac vilia reddita, cognoui,
et accurate intellexi, frater dilectissime. Iam verò libertate reddita, ac dracone illo a Re-
publica gubernatione maximi Dei providentia, nostraque opera expulso cunctis arbitror ma-
nifestam esse factam Diuinam potentiam, eosque qui vel metu, vel incredulitate in peccata
quadam inciderunt, ad veram, et rectam vitæ constitutionem accessuros. Quotquot igitur
Ecclesiis vel ipse præes, vel alios suis quosque loci Episcopos, Presbyteros, vel Diaconos præ-
esse nostri, admohe, vt diligentes sint circa Ecclesiarum structuras, ac vel existentes restau-
rent, vel auctiores reddant, vel vbi necessitas exigit, nouas adificent. Petes verò et ipse, et
alii per te à præsidibus, magistratibusque provincialibus ea, quæ necessaria sunt: his enim
scriptum est, vt omni promptitudine, quæ a sanctitate tua dicuntur, administrent. Hæc ad
Eusebium. Præterea quoniam error idololatriæ prædecessores suos occupauerat,
Catholicæ fidei doctrinam misit ad omnium gentium Prouinciales, monens sub-
ditos, vt Deum rerum omnium auctorem cognoscerent, Christumque seruator-
rem amplecerentur, palamque nuncuparent, vt patet ex peculiari ea de re im-
periali edicto, quod habes apud Eusebium loco paulò ante citato.

De propagatione verò fidei sub Constantino hæc scribit Sozomenus libr. 2. III. cap. 6. *Difficile est, inquit, singula conscribere: quamplurima siquidem et alia ciuitates* *Sozomenus.*
ad Christianam religionem tunc temporis cum fiducia accesserunt, vltroque Imperatore ni- *Fidei propa-*
hil horum præcipiente templa sua, et statuas demolite sunt, et domos oratorias adifica- *gatio sub*
runt. Cum autem hoc pacto Ecclesia per vniuersum Romanum Imperium creuisset, ad *Constantino.*
barbaros etiam religio Christiana peruenit: iam enim et qua ad Rhenum habitant

Christiana
mulieris ca-
pitula opera
Iberi fidem
recipiunt.

Socrates.
Theod. &
aliq.

gentes, Christianismum receperunt, Celtaeque, & Galatae, qui extremi ad Oceanum commo-
rantur, & Gothi, & quotquot illis vicini sunt, olim ad ripas Istri fluminis Christiana fidei
participes facti ad vitam sunt mansuetiores, ac rationi magis consentaneam mutati. Sub hoc
autem imperio & Iberi Christum agnouisse feruntur: est ea gens barbara, & bellicosissima,
& ultra Armenios ad Arcton habitans: opera autem Christiana, & captiua cuiusdam
mulieris factum est, ut patriam superstitionem contempserint. Quod postquam fuisse com-
memorat Sozomenus, addit cap. 7. Ad hunc modum Iberi Christum cognouerunt. Po-
stetia vero ad vicinas quoque gentes doctrina Christianorum peruenit, & incrementum accepit.
Armenios ante Christianam fidem recepisse audiui: fertur enim Tiridates, qui genti Arme-
niorum praerat, occasione stupendi cuiusdam miraculi, quod domi sua diuinitus contigerat si-
mul & ipse ad Christum fuisse conuersus, & cunctis subditis, ut eandem similiter religionem
amplecterentur, praecipisse. Haec Sozomenus: idemque referunt Socrates lib. 1. cap.
16. Theodoretus lib. 2. cap. 6. & alij. Atque haec factis esse videntur, ut perspectum
sit, quanto iure praesens visio ad Constantini tempora referatur, sub quo finitis
superiorum persecutionum turbinibus, & eorum, qui tunc temporis Romanum
Imperium obtinebant, tyrannide compressa Christiana religio usque adeo floruit,
fidei que ad extrema usque sola terrarum propagata est: id quod vaticinati per-
git Ioannes commemorata infinita propemodum hominum multitudine, qui
tum ex Iudaeis, tum vel maxime ex gentibus Christi fidem receperunt, quod iam
explicare aggredimur.

Cur fideles, & praecipue praedestinati appellentur signati.

SECTIO VI.

I Docuit Ioannes Angelum illum ascendentem ab ortu solis clamasse quatuor
Angelis, quibus datum erat nocere terrae & mari: Nolite nocere terrae, & mari,
neque arboribus, quo ad usque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum: tunc vero audiuisse
se numerum signatorum, videlicet centum quadraginta quatuor millia ex omni
tribu filiorum Israel: ex omnibus vero gentibus, populis, & linguis innumerabi-
lem signatorum multitudinem. Cum vero in superioribus docuerimus per eius-
modi signatos, fideles, qui fidem Christi receperunt, accipiendos esse: illud nunc
explicandum superest, cur signati nuncupentur.

- II.** Primum igitur omnes in vniuersum fideles appellantur signati ratione fidei,
quae signaculum dicitur 2. ad Timoth. 2. Firmum autem fundamentum Dei stat ha-
bens signaculum hoc. Dicitur autem fides signaculum, primo quia per fidem obli-
gnat Deus sua promissa, quae ratio est D. Ambrosij in commentariis epistola-
citata. Fundamentum Dei fides est, quae continet, quae promittit Deus, quae fides
non poterit infringi perfidorum, & haereticorum commentis: signaculum enim
promissionis Dei fides nostra est, quae firmat Dei verba. Secundo appellatur fi-
des signaculum, quia est nota quaedam, & velut tessera, qua fideles à non fideli-
bus discriminantur: quam rationem affert D. Gregor. lib. 29. Moralium cap. 2.
vbi de fide intelligit illud Canticor. 8. Pone me ut signaculum super cor tuum. Et lu-
culentiùs D. Augustinus: signate, inquit, est signum rei inponere: cuiusque
enim rei ponis signum, ideo ponis, ne confusa cum alijs à te non possit agnolci.
Vnde & Pater Christum signauit, Ioan. 6. id est, proprium quiddam illi dedit, ne
ceteris comparatur hominibus iuxta illud Psalm. 44. Vnxit te Deus, Dentus oleo
latitia praesortibus tuis. Hoc sensu dixit Paul. 2. ad Corint. 1. Qui vnxit nos Deus,
qui & signauit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris. Et ad Ephes. 1. In quo
& credit.

Et credens signatus es spiritu promissionis sancto, &c. 4. Nolite contristare spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis: atque eandem ob causam in baptismo character in anima imprimitur quasi nota distinguens fidelem ab infideli.

Deinde dicuntur fideles signati in frontibus, signo videlicet crucis propter fidei confessionem, de qua non debent erubescere. In cuius rei figuram Ezechielis nono præcepit Deus homini vestito lineis, qui Christum representabat, ut signaretur signo T in frontibus virorum gementium, ut iis à percussoribus Angelis parceretur: eo enim tempore T littera Hebraica habuit perfectam figuram crucis. Idem quoque fuit expressum Exodi 12. ubi iubetur sanguis agni occisi poni super utrumque postem, & superliminare, quoniam ut interpretatur Rupertus lib. 2. in Exodum, sanguinem Christi in superliminibus domorum ponimus, cum crucem passionis illius in fronte portamus. Erant autem notæ sanguinis tres, duæ in utroque poste, & una in superliminari, quia in nomine Trinitatis baptizatur, ut vult Rupertus. Quamquam id mysterium possumus etiam referre ad tres animæ potentias, quæ debent Christi sanguine notari. Vnus ex signatis in fronte erat Paulus, qui dicebat ad Rom. 1. Non erubescio Evangelium: imò & de Ecclesia vniuersa dicitur Cantic. 4. Licet fragmen mali punici, ita gena tua absque eo, quod intrinsecus later. Quem locum expendens Beda in Commentariis super cap. 6. Cantic. Genas, inquit, habet sicut malum punicum, quia anima fidelis non erubescit passionem sui redemptoris vel confiteri verbis, vel factis imitari, sed postposita omni verecundia, & confusione palam proclamare delectatur: Mibi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Rectè autem additur, absque occultis tuis, seu absque eo, quod intrinsecus later: quia sicut cortex mali punici solum quidem ruborem foris ostendit, sed multa interius grana, quibus exuberat, occultat, ita anima Deo deuota, ac salubriter verecundia virtute quidem vniuersa crucis suadet se per omnia tueri, sed sub eiusdem crucis signaculo plura virtutum genera, quæ foris minime apparent, continet. Hæc Beda. Nec verò quæpiam moueat, quòd gena sponsæ rubicunda, & punice dicantur, qui color verecundiam videtur indicare: etenim is color non est pudoris, sed amoris, quo sponsa in ipsamet animosa fidei confessione rubet.

Denique prædestinati præcipuè signati appellantur, eo quòd non solum fidei, sed etiam amoris, & charitatis notam impressam animo habent: quam ob causam dicuntur signati Christo tanquam signaculo in corde, & in brachio: ad huiusmodi enim sigillationem sponsam sponsus inuitat, cum ait Cantic. 8. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quemadmodum eleganter explicauit D. Ambrosius libro de Isaac, & anima cap. 8. Signaculum, inquit, Christus in frõe est signaculum in corde, signaculum in brachio: in fronte, ut semper consitemur, in corde, ut semper diligamus, in brachio, ut semper operemur. Plerique existimant eo loco Cantic. commendari sponsæ ab ipso suo memoriam, ut eum tanquam signum auro, aut gemmæ incisum in pectore, & brachio gestet: quemadmodum etiam Dominus Hebrais præcepit Exodi 13. Erit quasi signum in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos. Alij volunt postulare ipsam à sponsa, ut seipsum rebus omnibus anteponat: solent enim sponsæ monumenta quædam aurea, & elegantia ab amans accipere ad memoriam absentium excitandam. Nò defunt etiam, qui existimant, illud sponsæ commendari, ut cordis sui arcana, & secreta soli ipso aperiat: solemus enim sigillo obsignare, quæ abscondita, & arcana esse volumus. Sed possumus tamen eo loco per signaculum etiam imaginem accipere, quemadmodum sumitur Ezech. 28. Tu signaculum similitudinis, perfectum decore: ubi ad litteram sermo est de Lucifero, iuxta quam acceptionem postulat sponsus

Ephes. 4. 30.

III.
Crux signaculum fidelium.
Ezech. 9.

Exod. 12.
Rupert.

Rom. 1. 16.
Cantic. 4. 3.
Beda.

III.
Prædestinati fidei, & charitatis notam habent.
Cant. 8. 6.
D. Ambros.

Exod. 13. 9.

Ezech. 28. 11.

ab sponsa, ut seipsum tanquam imaginem, quam assidue conspiciat, & contempletur, in corde imprimat per amorem, & in brachio per actionem. Denique Aggæi 2. dicitur *Zorobabeli*, quatenus Christi figuram referebat. *Ponam te quasi signaculum*: sic enim eum locum interpretatur D. Hieron. *Hunc*, inquit, (scilicet Christum) *signavit Deus Pater Ioann. 6. & ipse est imago Dei invisibilis, & forma substantiæ eius ad Hebræos 1. ut quicumque crediderit in Deum, hoc quasi annullo consignetur.*

Agg. 2. 14.

D. Hieron.
Ioan. 6.
Heb. 1. 3.

Cur duodecim millia signati ex singulis tribubus nominentur.

SECTION. VII.

I. **I**am supra ostendimus, quæ sequuntur de numero signatorum tam ex Iudæis, quam ex gentibus, propagationem Ecclesiæ significare. Igitur numerum signatorum ex omni tribu filiorum Israël ait Ioannes fuisse *centum quadraginta quatuor millia*, id est, duodecim millia ex singulis tribubus: quemadmodum deinde sigillatim commemorat. Ponitur verò certus numerus fidelium conuerforum ad fidem ex Iudæismo, ut eorum paucitas exprimat: etenim paucissimi fuerunt coparatione eorum Iudæorum, qui Christum non receperant, tum eorum, qui ex gentibus crediderunt, de quibus mox subiungit: *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & linguis.* Itaque duodecim millia ponuntur ex singulis tribubus Israël, non quòd duodecim millia tantum crediderint, sed ut significetur certum fuisse, id est, non ita magnum numerum fidelium ex Iudæis comparatione aliorum, posito videlicet numero certo pro incerto, ut sæpe aliàs.

Paucissimi
salvatur præ
91, qui dam-
nantur.

II. **Q**uod igitur pauci ex Iudæis credituri essent in Christum, multa docent scripturæ sacræ testimonia. Primum habetur Genes. 22. ubi Deus ad Abraham ita loquitur. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & sicut arenam, quæ est in littore maris.* Quo loco, ut vult Eusebius Cæsariensis lib. 2. demonstrationis Euangelicæ cap. quadragesimo, nomine stellarum Iudæi conuersi ad fidem intelliguntur, quæ paucissimæ sunt, comparatione granorum arenæ maris, per quæ Iudæi perfidi significantur. *Cum duo*, inquit, *sint quæ Abrahæ Deus respondens promissit de ipsis, qui ab illo oriuntur erant, unum quidem, quòd futuri essent sicut stellæ cæli; alterum vero, quòd tanquam arena maris: Dei quidem amici, quales fuerunt illi veteres & Propheta, & Saluatoris nostri Apostoli, quibus ipse illud testimonium exhibuit, Vos estis lux mundi, luminibus cælestibus ipso splendore comparantur, reliqui verò terreni scilicet, atque in humanum spectantes arenæ similes habentur: quæ multitudo multo maior est, & deserti-*

Gen. 22. 17.

Euseb. Cæsariensis
cap. quadragesimo,
nomine stellarum
Iudæi conuersi ad
fidem intelliguntur,
quæ paucissimæ
sunt, comparatione
granorum arenæ
maris, per quæ
Iudæi perfidi
significantur.

Matth. 5. 14.

D. August.
Hier. 3. 14.
Rabbi Samai.

Esaï. 10. 22.

D. August.

Esaï. 8. 14.

tur peritura: quo eodem sensu locum intellexit D. August. homilia 48. Secundum Hieremiam 3. *Assumam vos unum de civitate, & duos de cognatione, & introducam vos in Sion.* Quem locum expendens Rabbi Samai (ut auctor est Galatinus lib. 9. de arcanis Catholicæ veritatis capite secundo) docet alludi ad egressum filiorum Israël ex Ægypto, & ingressum in terram promissionis: siquidem ex infinita illa multitudine, quæ egressa fuit ex Ægypto, duo tantum, id est, Iosue, & Caleb ingressi fuerunt in terram Chanaam. Simile igitur quicquid prædicitur à Hieremia futurum tempore Messie, quòd paucissimi Iudæorum eum essent recepturi, & in cælestem illam terram promissionis ingressuri. Tertium habetur Esaï. 10. *si fuerit populus tuus Israël quasi arena magis, reliquia conuertentur ex eo*, id est, paucissimi, quemadmodum interpretatur D. Augustinus libro questionum in Genesim, questione 148. Quam eandem ob causam Messias futurus erat lapis offensionis, & petra scandali domui Israël: sic enim habes Esaï. octavo. *Erit in lapidem*

lapidem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israël, in laqueum, & ruinam habitantibus Hierusalem, & offendens ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur. In quem locum legendus est Galatinus libro 9. de arcanis capite 2. Quartum Micheæ septimo. *Va mihi, quia factus sum sicut qui colligit in Autumno racemos vindemiae: non est botrus ad comedendum: id est, idem mihi contigit, atque iis, qui in Autumno colligunt racemos vindemiae, id est, post vindemiam racemos, qui paucissimi solent inueniri: quæ quidem verba plerique Christi faciunt conquerentis simul, & dolentis, quod pauci ex Iudæis fidem suam sint recepturi. Quod verò sequitur. *Præcoces ficus desideravi anima mea: quidam sic interpretatur. Desideravi, inquit, illam priorum patrum virtutem, qui tanquam præcoces ficus multò ante præcesserant, optabamque inuenire aliquos eis similes, sed reperire non potui: quod enim primi illi patres præcoces fructus appellentur, perspicuum est ex Osee cap. 9. *Quasi vna in deserto inueni Israël: quasi prima poma ficulnea, in cacumine eius vidi patres eorum. D. Hieronymus eisdem verbis putat exaggerari eandem Iudæorum paucitatem hoc sensu. Frustra, inquit, volui iam vindemiam, & perditam civitatem quasi extremos racemos requirere, sed cum non sit botrus ad comedendum, saltem immaturas ficus, id est, grossiflorum in cibum sumere optavi: quasi diceret, non inueniens panem præfamis magnitudine quisquiliæ, & surculos requisivi. Hæc ille.***

Mich. 7. 11.

Osee 9. 10.
D. Hieron.

Quintum denique est Osee cap. 10. *Vitis frondosa Israël, fructus adæquatus est ei: secundum multitudinem fructus sui multiplicavit altaria, iuxta ubertatem terræ suæ exuberavit simulachris: significatur Israël esse vitem frondosam, id est, syluescentem, ac luxuriantem palmitibus, hoc est, civitatibus, oppidisque frequentissimis abundantem, fructumque respondere multitudini palmitum: quia Israëlitici populi propagatio magna admodum fuit: ceterum secundum hanc propagationem, & multitudinem non Deo, sed idolis seruivisse, plerique ex Hebræo transferunt, *Vitis vacua, inanis, & illud significari putant Israël in frondibus quidem creuisse, quemadmodum luxuriantibus segetibus accidit: tunc verò quod sequitur: *Fructus adæquatus est ei, quod huic expositioni videtur repugnare, per interrogationem legunt, ac si diceretur. Poteritne igitur fructum aliquem asserre? Alij per vitem patres intelligunt, per fructum filios, itaque exponunt: fructus adæquatus est ei, id est, filij eandem patrum naturam imitantur, quippe cum sint etiam palmitum quidam frondosi nullum fructum proferentes, sed in foliorum tantum multitudinem, & pulchritudinem luxuriantes. Aquila transtulit, *Vitis aquosa, quod eodem recidit, quia vitis aquosa, nisi fuerit à vititore putata, tota in frondes excrecit, & humorem, quem debuit in vina mutare, in foliorum, & frondium luxuriâ convertit. Denique Esaiæ 27. ita legimus. *Et vos congregamini unus, & unus filij Israël: quo loco D. Hieron. docet prænunciari paucos ex Iudæis in Christum Dominum credituros, & quidem ipse idiotismus Hebræus raritatem, & paucitatem significat: est enim Hebræice, *Ad unum unum, seu Post unum unum.******

III.
Osee 10. 1.

Aquila.

Esa. 27. 12.
D. Hieron.

E contrario, quia ex gentibus infinita propemodum multitudo fidelium fuerat: erat: propterea Ioannes in eis commemorandis nullo certo numero ignotorum vius est: sed dixit tantam esse multitudinem, ut eam nemo poterit numerando percensere: id quod Deus ipsi Abrahamæ promisit Genesis vigesimo sexto. *Multiplicabo semen tuum stellis cæli: & benedicentur in nomine tuo omnes gentes terræ. Et capite decimo tertio. *Faciam semen tuum sicut pulverem terræ: sequi potest hominum numerare pulverem terræ, semen quoque tuum numerare poteris. Quod enim in priori loco eum dicitur, *In semine tuo, Christus intelligendus sit, docuit Paulus ad Galat. 3. *Non dixit, inquit, in seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, &****

III.
Ex gentibus
fidelium multi-
tudo ma-
ma.

Genes. 26. 7.
Genes. 13. 16.

Galat. 3. 16.

Esaï. 53. 8.

In semine tuo, qui est Christus. Eadem fidelium in gentibus multiplicatio præntia-
ta est Esaïæ quinquagesimo tertio, cum dicitur, *Generationem eius qui enarrabit*: id
est, quis poterit recensere multitudinem filiorum Messiaë, qui ab eo per fidem
generandi sunt; id enim significat verbum Hebraicum *דור*, *Dor*, pro quo vulgatus
transulit *Generationem*. Quamquam multi Patres velint esse sermonem de æterna
Christi generatione: imò & de temporali, quæ omnino comprehendendi non possit.
Huc etiam pertinet illud Canticorum 6. *Sexaginta sunt reginae, & octoginta concubi-*
nae, & adolescentularum non est numerus. Et illud Canticorum 7. *Oculi tui sicut piscina in*
Hesebon, quæ sunt in porta filiaë multitudinis: vbi Beda vult Ecclesiam ex gentibus ap-
pellari filiam multitudinis propter innumerabilem multitudinem eorum, qui
ex gentibus Christi fidem receperunt.

Cant. 6. 7.

Cant. 7. 11.

Beda,

Quem ordinem seruauerit Ioannes in enumerandis duodecim
tribubus.

SECTIO VIII.

I.
Quid sit tri-
bus.

Tribus tre-
decim suere.

Gen. 48. 5.

Antichristus
ex trib. D. a.

Scriptura
nunquam
tredecim, sed

12. tantum
tribus appel-
lat.

Nam. 18.
Deut. 18.
Iosue 13.

Deut. 27.

Exodi 28.

VT hoc melius intelligatur, paulò alius repetendum est principium. Scien-
dum igitur tribum nihil esse aliud, quam multorum ab vno stipite descen-
dentium generationem, in qua sunt multæ familiæ in domos varias distributæ.
Est autem duodecennarius tribuum numerus in sacris literis celeberrimus, nimi-
rum propter duodecim filios Iacob singularum tribuum principes: pro huius ta-
men rei intelligentia est primò aduertendum tribus tredecim fuisse. Etenim tri-
bus Ioseph fuit diuisa in duas tribus, adoptauit enim Iacob Manasse, & Ephra-
im filios Ioseph, voluitque, vt duas sortes reciperent, & duas tribus appellarent,
quemadmodum habes Genesis 48. *Duo, inquit, filij tui, (id est Manasses, & Ephra-
im) qui nati sunt tibi in terra Ægypti, antequam huc venirem ad te, sicut Ruben, & Simeon
reputabuntur mihi) id est, duas partes hæreditatis recipient, sicut quilibet alij duo
filij mei.) Reliquos autem, quos genueris post eos, tui erunt, & nomine fratrum suorum voca-
buntur in possessionibus suis:* diuiso ergo Ioseph tredecim tribus effectæ sunt. In hoc
ipso capite cum tribus Dan non ponatur propter Antichristum, qui inde descen-
dit, duodecim tamen numerantur: nam pro Ephraim, qui omittitur, quia ex eo
traxit originem Hieroboam, ponitur Ioseph. Secundò sciendum est scripturam
nunquã tredecim tribus, sed duodecim tantum appellare, cuius rei ea fuit ratio,
quia cù agitur de possessionibus, tunc tribus Leui nõ computatur, sed Ioseph diui-
ditur in duas, quoniã Leuitis præcepit Dominus, ne acciperet hæreditatem inter
Hebræos in terra eorũ, quia ipse nimirũ erat fors, & hæreditas eorũ. Numerorũ
18. & Deuteronom. 18. atque ad eod. cedebat eis in sorte, quæ ad Deũ iure pertinebat.
Iosue 13. quæ iurãtã Sacerdotum, quàm Leuitarũ, & Sacerdotis magni ponuntur.
Numerorum 18. Cùm verò agitur de re spirituali, tunc computatur quidem tribus
Leuitica, sed Manasses, & Ephraim non pro duabus tribubus numerantur, sed nu-
meratur tantum tribus Ioseph pro vna, vt patet in benedictione, & maledictione
in confirmatione legis, quæ ponuntur Deuteronom. 27. vbi sex tribus sedebant
ad maledicendum transgressoribus legis in monte Hebal, & sex aliæ ad benedi-
cendum obseruatoribus in monte Garizim, & tribus Leui est ibi vna de benedi-
centibus. Sic etiam præcepit Deus poni in duobus lapillis Onychinis superhu-
meralis, siue Ephod duodecim nomina duodecim tribuũ, & in rationali in 12. la-
pidibus eadem nomina duodecim tribuum. Exodi 28. E quibus duodecim no-
minibus

minibus vnum erat nomen tribus Leuiticæ, quia præceptum fuit, vt ponerentur nomina duodecim filiorum Israël iuxta ordinem natiuitatis suæ: quo fit, vt iisdem locis tribus Ioseph pro vna tantum tribu censeretur. Ratio verò eius rei ea erat, quoniam spiritualia communia erant tribui Leuiticæ cum alijs, atque ad eum de ijs agebatur, inter eas numerabantur: & temporalia emolumenta non erant illi cum alijs communia. Aliter rem hanc explicat Abulensis questione octaua in vigesimum quartum caput Exodi, Manassem, & Ephraim nunquam fuisse diuersas tribus nisi in principio secundi anni exitus Hebræorum de Ægypto, quo tempore inquit, Leuitica tribus assumpta à Domino ad ministerium tabernaculi delijt esse tribus, Numerorum tertio, & pro sorte, quam receptura erat in terra Chanaan, assignati sunt ei redditus primitiarum, & decimarum. Numer. 18. & 35. Ex quo concludit Abulensis tribus semper fuisse 12. qui nimirum cum Leui fuit tribus, non erant Ephraim, & Manasses duæ tribus: cum verò Leui separatus fuit à reliquo populo, tunc ceperunt esse duæ tribus. Caterum non video, vnde Abulensis eliciat tribum Leui delijisse esse tribum, cum perpetuo inter tribus connumeretur, etiam postquam à Domino ad templi cultum, & ministerium delecta fuisset.

Abulensis.

Nom. 3. 18. & 35.

Quod verò attinet ad seriem tribuum, ea est præcipua, quam Iacob mortuus in filiorum benedictione quasi instituit Genes. 49. Iuxta quam prima est Ruben, secunda Simeon, tertia Leui, quarta Iudas, quinta Zabulon, sexta Issachar, septima Dan, octaua Gad, nona Aser, decima Nephtalim, vndecima Ioseph, duodecima Benjamin: vbi vides Iacob non instituisse ordinem tribuum iuxta ordinem natiuitatis filiorum. Secundò possunt etiam ordinari secundum natiuitatis ordinem: tunc verò prima tribus erit Ruben, secunda Simeon, tertia Leui, quarta Iudas, quinta Dan, sexta Nephtalim, septima Gad, octaua Aser, nona Issachar, decima Zabulon, vndecima Ioseph, duodecima Benjamin. Atque iuxta hunc ordinem descripti sunt filij Iacob in duodecim Lapidibus rationalis, & in duobus Onychinis, qui erant in superhumerali. Exodi vigesimo octauo.

II.

Prima Tribuum series ordine benedictionis.

Genes. 49. Secunda ordine natiuitatis.

Exod. 28.

Tertio possunt ordinari secundum ordinem excellentiæ. Tunc verò primum locum obtinet Iudas, cui à patre datum est ius regnandi, quod Ruben primogenitus amisit, quia thorum patris violasset: secundum Ioseph, ad quem reliquum primogenituræ ius delatum est: præteriti autem sunt Simeon, & Leui, qui proximè post Ruben sequebantur, propter eandem Sichimitarum, quam iniquo animo accepit Iacob. Tertium igitur locum obtinet Ruben, & deinceps ceteri. Verum hæc series nusquam in sacris literis reperitur, quamuis illis sit consentanea. Quarto possunt ordinari tribus secundum ordinem vexillorum, qui in castris Hebræorum seruabatur, dum per desertum graderentur. Erant autem castra in quadro posita, in quatuor vexilla distributa: & sub quolibet vexillo tres tribus quasi militabant eo ordine, qui refertur Numer. 2. & 10. iuxta quem non numerantur tribus iuxta ordinem natiuitatis, neque excellentiæ. Igitur sub vexillo Iudæ, cuius insigne erat ad Orientem Leo, erant tribus Iudæ, & duæ aliæ tribus Issachar, & Zabulon: sub vexillo Ruben ad partem Meridionalem, cuius insigne erat homo, tribus Ruben, Simeon, & Gad: sub vexillo Ephraim ad Occidentem, cuius insigne erat Bos, tribus Ephraim, Manassæ, & Benjamin: denique sub vexillo Dan ad Aquilonem, cuius insigne erat serpens, tribus Dan, Aser, & Nephtalim: atque hic ordo seruatus fuit in oblatiqne principum Numer. 7.

III.

Tertia ordine excellentiæ.

Quarta ordine vexillorum.

Numer. 2. & 10.

Num. 7.

III.

Quinta ordine sortitionis: partitione terra.

Quinta tribuum series desumitur ex partitione terræ, & iactu sortium. Etenim cum Ruben, Gad, & dimidia tribus Manassæ optassent terram illam duorum Regum, quæ erat ante transitum Iordanis, factum est, vt alius ordo in fortibus distri-

buendis imitetur, quem ita tradunt sacra litera, Ruben, Gad, & dimidia tribus Manassæ manserunt citrà Iordanem: vltra Iordanem primam sortem obtinuit Iudas ad Sultrum, cui ad Aquilonem iunctus fuit Ephraim, & post eum reliqua dimidia tribus Manassæ ad mare: secundam Simeon in Iudæ finibus: tertiam Zabulos, quartam Issachar, quintam Aser, sextam Nephtalim, septimam Dan. Postremò possunt ordinari non iuxta ordinem sortium, sed iuxta situm ipsum terrarum, quas per sortes obtinuerunt, & quem situs ipse peragrantibus offerebat initio à meridie factò: quomodo primus Ruben vltra Iordanem agros suos obtinuit in regno Seon Regis Amorrhæorum, & Gad, & dimidia tribus Manassæ in regno Og Regis Balan: deinde traiecto flumine occurrit Iudas primus, secundus Simeon, tertius Dan, quartus Beniamin, quintus Ephraim, sexto loco altera dimidia tribus Manassæ, septimus Issachar, octauus Zabulon, nonus Nephtalim, decimus Aser in ea parte agri, quam Dan filij ad Libanum sibi bello cepere.

V. His igitur ita expositis illud in primis aduerte circa ordinem, quem Ioannes obseruauit in nominandis hoc loco duodecim tribubus Israel, eum prætermisisse tribum Dan propter Antichristum, qui ex ea trahet originem, atque oded eius tribus tanquã reprobæ, cuius ferè omnes adulti perierint, nõ habuisse rationem: nec etiam commemorasse tribum Ephraim, cuius rei causam illa plerique afferunt, quòd ex ea tribu fuerit Hieroboam, qui primis in decem tribus idololatram inuexit 3. Reg. 12. vtrum pro Ephraim positum esse Ioseph eius patrem. Deinde obseruandũ est Ioannem in numerãdis tribubus nullum ex prædictis ordinibus siue terrenæ natiuitatis, siue temporalis excellentiæ, siue benedictionis datæ à Iacob, siue dispositionis Castrorum, siue partitionis terræ iuxta iactũ sortium, siue denique habitationis iuxta sitũ terrarum obseruasse, quia in conferendis spiritualibus donis nulla habetur eiusmodi rerum quãtumuis excellentium ratio: seruasse tamẽ ordinem cuiusdã alterius spiritualis profapia, quã ferè omnes interpretes hoc loco diligenter inuestigarunt, & accuratè tradiderũt, veluti Beda, Rupert. Richardus de S. Victore, Primasius, Haymo, Pannonius, Ambrosius Ansbertus, & alij.

Tribus Dan,
& Ephraim
à Ioanne cur
omissa.
3 Reg. 12.
Beda.
Rupert.
Rich. Vict.
Primas.
Haymo.
Pannon.
Ansbert.

VI. Igitur primo loco ponitur Iudas, qui sonat confessionem, & laudem, quia ad fabricam perfectionis erigendam prius iacienda sunt fundamenta confessionis, per quam à peccatis receditur, & Deus ipse agnoscendus, confitendus, laudandusque est: aut certè significatur in Iuda confessio fidei, & laudatio operum Dei: quia ergo Ecclesiæ fundatio à fidei confessione incipit, meritò primum locum obtinet Iudas. Secundum locum obtinet Ruben, qui interpretatur filius visionis, & iuxta Richardum exprimit eos, qui boni operis fructum genuerunt, & per eum ad Filij æterni Patris contemplationem peruenerunt: quod magis adhuc exponens Pannonius docet filios visionis esse ipsa virtutis opera, & actus bonos, qui Dei contemplationem cõsequuntur, commemorarique post Iudam, quia is, qui fidem habet, vt beatus sit, debet operum bonorum filios generare. Post Ruben sequitur Gad, qui interpretatur accinctus, quoniam rectè operantes accincti esse debent, & expediti ad bellum propter tentationes, quæ statim insurgunt, iuxta illud Psalmi 17. *Præcinxisti me virtute ad bellum.* Et Luca 12. *Sint lumbi vestri præcincti, vnde Tobia duodecimo dicitur: Quis acceptus eras Domino, necesse fuit, vt tentatio probaret te.* Et quoniam superata tentatio victorem coronat, rectè post Gad nominatur Aser, qui beatus interpretatur iuxta illud Iacob 1. 12. *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Sequitur deinde Nephtalim, id est, latitudo ad significandam eam cordis latitudinem, & singularem in Deo fiduciam, quã quis post superatam tentationem

Cõfessio per
fectious fun
damentum.
A fide incipit
Ecclesia.
Richardus.
Pannon.
Opera virtu
tis sunt filij
visionis.
Psalm. 17. 40.
Luc. 12. 35.
Tob. 12. 13.
Rectè operan
tes tentari
necesse est.
Tentatio su
perata coro
nat.
Iacob. 1. 12.
Fiducia vin
centis crescit.

rationem ex diuino præsidio acquirit: quemadmodum constetur Regius vates
 Psal. 4. *In tribulatione dilatasti mihi.* Quoniam verò qui ex tentatione victor euasit
 propter Diuinam, quam sentit, dulcedinem terrena iam omnia obliuiscitur: imò
 mirum in modum animatus præteritam bella oblitus alia multò difficiliora re-
 quirit, rectè succedit Manasses, qui obliuionem sonat: sic enim faciebat. A postol-
 us, cum prioribus tentationibus superatis dicebat ad Philippenes 3. *Quæ retro*
sunt, obliuiscens ad ea, quæ ante sunt, extendens me ipsum. Sequitur Simeò, id est, auditio,
 eo quòd is, qui iam omnia alia obliuiscitur, aptus est ad percipienda diuina: cui
 succedit Leui, qui interpretatur mutuatus: quoniam is, cum totus in Deum aspi-
 ret, peregrinum se in mundo, & quasi mutuatum existimat: quem iure optimo
 consequitur Isachar, qui mercedem significat, quæ ejusmodi viro maxima debe-
 tur: ad quem Hieremias Propheta ita loquitur cap. trigesimo primo. *Quiescat vox*
tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis, quia est merces operi tuo, ait Dominus. Huic verò succe-
 dit Zabolon, id est, habitatio, quia Deus in sanctis habitare dicitur iuxta illud Le-
 uitici 26. *Inhabitabo in illis:* & citatur à Paulo secundè ad Corinth. 6. Et quoniam
 in sanctis quotidie magis, ac magis crescunt dona gratiarum, sequitur Ioseph, qui
 interpretatur additio, seu incrementum. Denique quia ad dextram Dei tandem
 in gloria collocantur, vltimum obtinet locum Beniamin, qui filius dextræ inter-
 pretatur.

Libet quoque apponere expositionem D. Ambrosij, qui huius quoque ordi-
 nis, quem in numerandis tribubus Ioannes seruauit, aptissimam affert connexio-
 nem in commentariis suis super Apocalypsim quæ inter eius opera circumferun-
 tur, eaque dicitur reperisse in antiquis Bibliothecis Cuthbertus Tostallus Du-
 nelmenis Episcopus. itaigitur ait Ambrosius. *Iudas prior ponitur, Beniamin vltimus:*
quòd si interpretationes nominum inspicere voluerimus, Iudam inferiorem in penitentia, Benia-
min verò superiorem reperimus in patria: nam qui ad Deum conscendere desiderat, à minori-
bus incipit, vt gradatim crescendo ad maiora perueniat, sicut dicit Psalmista Psalm. 83:
Ibunt sancti de virtute in virtutem. Et quia sancti ad Deum per iter virtutum conscendant,
subiungit. Videbitur Deus Deorum in Sion. Iudas confessio interpretatur, Iudas ergo prior pon-
itur, quia quicumque post peccata ad Deum conuerti desiderat, necesse est, vt primo confiteatur
peccata sua, sicut dicit Iacobus Apostolus c. 5. Confitemini alterutrum peccata vestra, vi-
delicet vt per confessionem peccatorum, & penitentiam Deum sibi placabilem faciat, quem of-
fenderit. Et quia qui salubriter penitet, & desinet mala, quæ fecit, gaudium in celo facit, oculos
misericiæ Dei ad se conuertit, sicut dicit Dominus, Conuertimini ad me, & conuertar ad vos.
Ruben secundus ponitur, qui visionis filius interpretatur, quia per penitentiam visionis factus est
filius, qui erat antea filius perditionis. Post Ruben Gad sequitur, qui accinctus interpre- atur, quia
necesse est, vt qui penitet se mala gessisse, & petit ne in eade relabatur, cõtra omnia vitia armetur,
voluptatèsque carnales à se præcidat, quia non potest fieri, vt à peccatis abstineat, qui in volupta-
tibus carnalibus requiescit. Et quia qui contra vitia pugnat viriliter, ià beatus esse incipit. Aser
in ordine ponitur, qui beasitudo interpretatur. Sequitur Nephtalim, qui dilatio mea interpret-
tatur, omnis enim, qui se Deum offendisse, & vult vt ei misericordia Diuina succurrat, debet
& ipse misereri quibuscunque potest, & quemodò potest, sicut dicit Dominus Matthæi 5. Beati
miseriores, quonia ipsi misericordiam consequentur: illius quippe mens circūquaque dilatatur,
qui per dilectionem, quam proximis exhibere debet, omnibus quibuscunque potest, miseretur. Post
Nephtalim ponitur Manasses, qui oblitus interpretatur, quia expedit, vt qui peccata sua de-
stet, quæ elemosinas pauperibus largitur, vt peccata eius dimittantur: eadem peccata ita deferat,
quatenus ea penitus oblitus esse videatur, & idem Simeon sequitur, qui ex auditio interpretatur:
illo etenim pro malis, quæ fecit, deprecans, vt sibi à Deo dimittantur, ex auditur qui omnia

Psal. 4. 1.
Tentationis
victor terre-
na obliuisci-
tur.
Philip 3 13.
Oblitus ter-
rena percipit
caelestia.

Peregrinus
in mundo,
regnabit in
caelo.

Leui 26. 11.
2. Cor. 6. 16.

VII.

Connexio
tribuum ex
Di. Ambrosij.

Psal. 83. 18.

Iacob 5. 16.

Zoch. 3. 3.

Matth. 5. 7.

vitiis extoro deserit. Deinde Leui sequitur, qui additus, siue assumptus interpretatur, quia qui de peccatis, quae fecit, iam penitentiam exercuit, qui contra vitia pugnavit, eaque deiecit, qui erga inligentes misericors exstitit, de venia iam securus timorem ignis aeterni de mente abiecit, atque in amorem Dei, ac caelestis patriae totus assumitur, usque additur, qui filij Dei nuncupantur,

Genes 30. 18.

Et sunt. Sequitur Issachar, qui merces interpretatur: sed interpretationem huius nominis clarior viderimus, si ea, quae mater Lia eo nascente dixit, ponamus: ait enim, Genes. 30. Reddidit Deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meam viro meo, & idcirco appellavit nomen eius Issachar, id est, merces: caro nostra ancilla nostra debet esse, vir noster Deus noster est: ancillam vero nostram viro nostro damus, si carnem nostram Dei seruitio mancipamus: si eam vigilare, ieiunare, & abstinere compellimus, atque voluptates eius edomamus: Issachar igitur Lia in mercedem datus est a Deo, quia is, qui carnes domant, qui vitia extinguunt, ea merces datur a Deo, ut virtutibus dicentur: & ideo post Issachar Zabulon ponitur, qui habitaculum fortitudinis interpretatur: quis est fortis nisi Deus: de quo Psalmista dicit, Psalm. 23. Dominus fortis, & potens, Dominus potens in praelio: & quid habitaculum fortitudinis, nisi habitatio Dei? in illo enim habitas Deus, in quo fides, patientia, castitas, humilitas, caritas, ceteraque virtutes commemorantur.

Psal. 23. 8.

Et quia per operationem virtutum augentur praemia meritorum, Ioseph subsequitur, qui augmentum interpretatur. Benjamin ultimus, imò & superior ponitur, qui filius dexteræ interpretatur: dexteræ namque Patris filius Dei dicitur, & Evangelium loquitur, quia sancti ad dexteram Dei ponentur. Electi itaque Dei filij dexteræ Dei efficiuntur, cum ab hac vita subtrahuntur in caelestibus sedibus collocantur, ubi nihil est sinistrum, sed totum dextrum. Haec enim Ambrosius.

VIII.
Ecclesia in
12 tribubus
significata.

Possumus hæc etiam ad Ecclesiam referre. Ipsa enim in Iuda est in fidei confessione fortissima: in Ruben bonis operibus fecunda: in Gad tentationibus, & persecutionibus probata: in Nephtalim charitate dilatata: in Manasse ea, quae ante sunt, obliuiscens: in Simeone Diuinis auditionibus, & reuelationibus illustrata: in Leui celibatu continentium illustris: in Issachar futurae mercedis expectatione suspensa: in Zabulon Dei ipsius habitaculum: in Ioseph mirabiliter propagata: denique in Benjamin ad dextram sponsum collocata.

Præcedens visio de beatis exponitur, & de statu beatorum nonnulla dicuntur.

SECTIO IX.

I. **Q**uanquam, uti diximus, quæ hoc capite à Ioanne traduntur, ad fideles, qui tum ex Iudæis, tum ex gentibus fidem Christi receperunt, ad literam referenda sunt; quia tamen communiter de Sanctis iam Deo frequentibus explicantur, & ab ipsa Ecclesia in festo omnium Sanctorum sanctis iam in cælo Deum videntibus accommodantur, eaque expositio minime nobis aduersatur: siquidem iidem sunt qui modò fidem Christi recipiunt, & postea in cælo beantur, non erit abs re præcedentem visionem de beatorum statu interpretari, & iuxta ea, quæ vidit Ioannes, nonnullas eorundem condiciones percurrere, quo eorum mira felicitas illustrior appareat.

II.
Beatorum
multitudo,
& varietas.

Primùm igitur consideranda est beatorum multitudo, simul & varietas: etenim multitudo illis verbis exprimitur: *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat.* Varietas autem indicatur, cum subiungitur: *Ex omnibus gentibus, & populis, & tribubus, & linguis:* quod quidem ad caelestis illius patriæ gloriam, & præstantiam maximè pertinet: quamuis enim singuli per se sancti pulcherrimi sint, & admirandi; ipsa tamen omnium multitudo, & varietas multo maiorem pulchritudinem, & excellentiam continet: similem enim ob causam cum Deus in ipsis mundi

mundi incunabulis de singulis creaturis dixisset, quod essent bonæ, tamen cum uniuersas fuit intuitus, non tantum bonas, sed valde bonas appellauit: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona.* Genesis 1. Id quod etiam in omni genere rerum pulcherrimarum cernere licet: sed illud admirabilius in tanta Beatorum multitudine, & varietate summam reperiri concordiam, quod non obscure significauit Ioannes, cum addidit, *stantes ante thronum, et in conspectu Agni,* quam consensionem Glossa ordinaria vult fuisse typicè indicatam 3. Regum 6. cum de Cherubin à Salomone rege fabricatis dicitur mensura vna vtriusque fuisse. *Atque has omnes tres Beatorum proprietates, multitudinem videlicet, varietatem, & concordiam expendit D. Augustinus in commentariis super Psal. 150. quem totum de Beatis intelligit. Etenim vult Beatos sibi esse expressos in tubis, plautibus, citharis, tympanis, chordis, organis, & cymbalis bene sonantibus: in quibus omnibus multitudo, & varietas cum summa harmonia, concentuque coniuncta reperitur. Habebunt, inquit, etiam tunc sancti differentias suas consonantes, non dissonantes, id est consentientes, non dissentientes, sicut concentus suauissimus fit ex diuersis quidem, sed non a diuersis sonis.* Secundo dicuntur stantes ante thronum, & in conspectu Agni: vbi stare ante thronum primo dicit firmitatem, & stabilitatem gloriæ: secundo gratiam apud Deum, & Agnum, ut ait Pannonius: quemadmodum ij, qui principibus astant, gratiis censentur: tertio ex Richardo de sancto Victore promptitudinem ad parendum diuinis mandatis. Et quidem, quod ad firmitatem spectat, ea explicatur Psal. 147. vbi regius vates ad Hierusalem cœlestem ita loquitur. *Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuam Sion: quoniam confortauit seras portarum tuarum: benedixit sibi etis in te: Qui posuit fines tuos pacem.* Etenim hunc Psalmum multi de cœlesti Hierusalem, & gloria Beatorum, anagogicè interpretantur, voluntque duplici similitudine firmitatem eius fuisse expressam: vna, cum dicitur, *Confortauit seras portarum tuarum:* ut nullus iam hostis eas possit infringere, & cœlestis gloriæ Beatis eripere: altera, cum subiungitur, *Qui posuit fines tuos pacem:* quid enim iam timendum restat illi ciuitati, cui pro finibus, & pro manibus ipsa est pax securissima, & inexpugnabilis tributa? Idem quoque fuit figuratum ex Mosaiico illo tabernaculo, quod quia propter pelles hyacinthinas ipsum cooperientes cœlum à longe aspicientibus representabat, vt auctor est Iosephus lib. 3. antiquitatum cap. 7. iure optimo cœlestis gloriæ symbolum censei potest iuxta illud Psal. 83. *Quam dilectas tabernaculata Domine virtutum: concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.* Quemadmodum igitur illud tabernaculum, ex lignis Setim, quæ impuribilia fuisse Hebræi docent, & cedros interpretantur, fuit iussu Domini fabricatum: ita Beatorum gloriæ corruptionis omnino expers est, atque adeo in eodem semper statu in omnem æternitatem firmissima permanens. Eandem firmitatem significat quadrata figura cœlestis illius ciuitatis, quam describit Ioannes Apocal. 21. & primum fundamentum muri, quod dicitur esse Iaspis pretiosa gēma, quæ aduersus timores dicitur esse præstantissima. Verum de his eo loco fultus.

Quod vero attinet ad gratiam, qua valent Beati apud Deum, & Agnum, illud interim sufficiat, quod dicitur Esaiæ 28. *In illa die erit Dominus exercituum corona gloriæ, et sericum exultationis residuo populi sui:* quæ enim maior gratia esse potest, quam Deum ipsum coronam esse pulcherrimam, & sceptrum ornatissimum Beatorum, vt creata omnia ipsos tanquam Reges, ac Principes, imo quasi quosdam Deos, vt potè Deo ipso veluti corona insignitos reuerentur, & obseruent quid enim aliud facerent regni proceres, si cernerent Regem suam ipsum coronam regalem capiti alicuius imponere, quemadmodum contigit Mardocheo

Genesis 1.

Glossa.
3. Reg. 6.

D. August.

Psal. 147. 2.
Firmitas, et
stabilitas glo-
ria.

Iosephus.
Psal. 83. 3.
Apoc. 21.

III.
Esai. 28. 5.
Beati apud
Deum gra-
tia valent.

Esther sexto? Denique dicuntur Beati stare ante thronum quasi paratissimi, & promptissimi ad parendum Deo: etenim eandem ob causam dicuntur milliz millium Angelorum Deo ministrare, & decies centena millia ante thronum eius assistere, Danielis septimo. Ad idemque significandum ab Ecclesia alati, & discalceati pinguntur: quemadmodum docet Dionysius Areopagita capite decimo quinto de caelesti Hierarchia: debet enim obedientia esse alata, & discalceata, id est, ad executionem promptissima. Denique hoc sensu accipiendum est illud Ps. 103. *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis*, id est, qui facit, ut ij, quibus tanquam Angelis, seu nuntiis utitur, sint instar spirituum, id est, ventorum velocissimi, & instar flammæ ignis efficaces. Hunc enim sensum reddidit Paraphrastes Chaldaicus, eum ita transtulit: *Qui facit Angelos suos veloces sicut ventum, & ministros suos fortes sicut flammam ignis*. Scio D. August. in commentariis eius loci, & D. Gregorium homilia trigesima quarta in Evangelia sic literam dispungere: qui spiritus suos facit Angelos, id est, eos qui iam spiritus sunt per naturam, facit Angelos, id est, nuntios per ministerium, eo quod Angelus non sit nomen nature, sed officij. Cæterum accusati vos illos, *Angelos, & ministros* præconstruendos esse à parte subiecti patet ex Græco contextu propter præfixum articulum, ut adnotant Theodoretus, & Euthymius, eandemque lectionem secutus est Tertullianus lib. 3. contra Marcionem, imò & ipse D. Gregorius lib. 11. Moralium cap. 3.

III. Tertiò subiungitur, *Et palma in manibus eorum*, in signum victoriæ, quam de Dæmone, de tyrannis, de morte, denique de vitiis omnibus reportarunt. Nec enim huiusmodi palma ad solos martyres, sed ad omnem quoque Sanctorum cœtum referenda sunt: omnibus enim dixit Christus Matthæi 10. *Non veni pacem mittere, sed gladium*. Et de lectulo Salomonis qui Ecclesiam representat uniuersam, dicitur Canticorum 3. *Leitulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenent gladios, & ad bella doctissimi: unus cuiusque ens super femur suum*, cur enim Ecclesia militari præsidio undique cingitur, nisi quia ex omni parte bella consurgunt, quæ non solum fidem, sed etiam reliquas omnes virtutes oppugnant? Itaque de omni Sanctorum genere hunc locum explicauit D. Gregorius homilia decima septima super Ezechielem. *Palmas*, inquit, *in manibus tenere est victoria in operatione remissa, cuius operationis palma ibi retribuetur, ubi iam sine certamine gaudebit*. Nam de statu huius vitæ dicitur Ezechielem cap. 4. *Ante frontes pictura palmarum*. Nec enim dicitur est palma, sed pictura palmarum: nam hic plerumque sanctos viros aspiciamus mira agere, & virtutes multas facere: sed hæc nondum palma sunt, sed pictura palmarum, quia de eis foris ostenditur, quales apud omnipotentem Dominum intus habeantur: quamuis hæc interdum datur & reprobis. Cæterum palma ad aliã vitam reseruatur, ubi sancti sine certamine in perpetuum gaudebunt: quãquam verò omnes sancti palmas manibus in cælo gerent, id tamen præcipue martyribus conuenit, quippe qui difficiliora bella gerant, & multo magis palmas promereantur: de quibus propterea D. Ambrosius serm. 24. accepit illud Exodi 15, cum dicitur Hebræos post aquarum amaritudinem peruenisse ad Heliam, ubi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palma, docens expressas fuisse Martyrum palmas, quas post passionis amaritudinem consequuntur. *Est*, inquit, *palma Martiris suis ad cibum, & Ambrosia ad requiem, honorabilis ad triumphum, semper virens, semper vestita folijs, semper parata victoriæ, & quæ idcirco non marcescit palma, quia martyrum victoria non marcescit*: iuxta illud Ps. 91. *Iustus vt palma florebit*. Obseruauit autem Hugo Cæcilius in cômmentariis eiusdè Psalmi folia palma esse instar gladij, quæ similitudo duo significat: vnum est gladium ipsum, quo Martyres feriuntur, in palmam, hoc est, summam

Esther 6.
Beatorum
promptitudo
at parendu
Des.
Daniel 7.

Psal. 103. 4.

Paraphrast.
D. August.
D. Gregor.

Theodoret.
Euthym.
Tertullian.
D. Greg.

Beati in glo-
ria palmas
habent in si-
gnum victo-
ria.

Mat. 10. 34.
Cant. 3. 7.

D. Gregor.

Ezech. 46.

D. Ambros.
Exodi 15.
Martyrum
palmas.

Psal. 91. 13.

VII
Ape

summam felicitatem auadere, alterum palmam gloriæ non nisi gladio, id est, cõcertatione, & digladiatione comparari iuxta illud Apostoli. *Non coronabitur nisi qui legitime certauerit.* Ad exprimendam etiam gloriã Martyrum malum punicum, quod ex patrum sententia propter purpureorum granorum copiam Martyrum multitudinem significat: quemadmodum, inter alios Beda obseruauit super illa verba Cant. 4. *Sicut fragmen mali punici, ita gena tua: vnum inter omnia poma coronatum est, regalẽmque coronam præfert ad eam exprimendam gloriæ coronam, quæ pulcherrima, & pretiosissima Martyribus confertur.*

2. Tim. 2. 5. Malum punicum martyriũ est symbolum Cant. 4. 5.

Quarto addit Ioannes. *Sunt antethronum Dei, & seruiunt ei die, ac nocte in templo eius.* V.

Quod ad contextum attinet, verba illa die ac nocte non indicant esse in cælo dierũ, ac noctium vicissitudines, cum aliàs dicat Ioannes nullam ibi noctem esse Apocal. 21.

sed linguæ Hebrææ idiotismo continuationem, & perpetuitatẽ significant absque vlla intermissione, quo sensu dictum est supra c. 4. de animalibus, quod non habent requiem die, ac nocte dicentia: *sanctus, sanctus, sanctus.* Et Psalm. 1. *In lege eius militabitur die, ac nocte.* & Esaia 62. *Super muros tuos Hierusalem consistui custodes: tota die, & tota nocte in perpetuum non sacebunt.* Præterea quod dicitur *In templo eius*, allusio est ad ministros templi, & sacerdotes, indicaturque cælum esse templum, in quo Deus colitur. Ex his iam colligimus magnitudinem suauitatis, & dulcedinis, quæ beati perfunduntur assistendo antè thronum Dei die, ac nocte, eique seruiendo: siquidem tam diuturna assistendi, & seruiendi continuatione minimè fatigantur propter summam, quam animo capiunt voluptatem, quam eleganter explicauit Regius vates Psal. 35. cum dixit: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te est fons vitæ.*

Apocalyp. 4. Psalm. 1. 2. Esai. 62. 6.

Quem locum Theodoretus quidem retulit ad præsentem spiritualium bonorum affluentiam, quam à Deo sancti recipiunt, quæ torrenti comparatur, quod instar torrentis in æstate ad tempus fluat, & parum durat, videlicet breui huius mortalis vitæ decursu. Verùm alij de sempiterna felicitate interpretantur, quam duplici potissimum de causa torrentem dici volunt, tum propter impetum, & copiam: tum quia sicut torrens aquarum vi, & impetu omnia obstacula secum deuoluit: ita superna voluptas omnia delectationi contraria in æternum tollit, ac destruit. Quoniam verò similitudo torrentis, qui cito fluit, videbatur diuturnitatem, imò æternitatem beatitudinis euertere, idcirco addit Regius vates. *Quoniam apud te est fons vitæ:* quasi diceret: nemo in animum inducat felicitatem Beatorum aliquando defectoram, eo quod illam torrentis similitudine expressi, quia hic torrens ortum habet ex fonte quodam perenni, qui nunquam potest deficere. D. Augustinus in commentariis huius Psalmi obseruauit verbum illud *Inebriabuntur*, docetque eo significari tantam vim dulcedinis, vt quemadmodum homines, cum vinum immoderatè bibunt, de potestate mentis deturbantur: ita cum accepta fuerit illa ineffabilis lætitia, humana mens à cælesti illa dulcedine inebriata, & absorpta quodammodo deficere videatur.

Psalm. 35. 9.

Theodoret.

Torrenti comparatur.

D. August.

Quinto comparatur beatitudo vberissimis pascuis, cum dicitur, *Agnus qui in medio throni est, reget illos.* Est enim Græcè *ποιμαρευ*, quod verbum ad pastores pertinet: idẽmque significatur illis verbis, quæ consequuntur: *Deducet eos ad vitæ fontes aquarum*, seu, vt Græcè habetur, ad viuos fontes aquarũ, quod pastorũ etiam est: eosque fontes expetebat Regius vates, cum dicebat Psal. 41. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sicutiuit anima mea ad Deum fontem viuum* (sic enim legendũ est; non fontem, vt patet ex Hebræis, Græcisq; codicibus.) *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei:* Plerique in huius loci expositione

VI.

Psalm. 41. 1.

commemorant illud, ceruum grauatum exerscentibus cornibus, & pilis, caligantibusque oculis serpentem narium afflatu à cauernis extrahere, illumque deglutire: tunc verò vi veneni astuantem ad fontem currere, & potare: itaque proiectis cornibus totum immutari: atque idcirco Dauidem se ceruo conferre, qui haustu antiqui serpentis per peccatum veneno ad fontem misericordiae per penitentiam currat: atque ita ad ipsum Deum tanquam ad omnium bonorum fontem anhelans salutari gratiae potu recreetur.

VII. Postremò rectè dicitur, *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*: quod

Pannonius.

miram dulcedinem indicat, ductaque est similitudo, vt vult Pannonius, à matribus, quæ paruulos plorantes amplecti solent, blanditijs delinire, eisque lachrymas abstergere, & vbera porrigere. Ita eniþ sanctos, qui ex hac vita plorantes discedunt propter laborum asperitatem, Deus in cælo benignè excipit, & instar blandissimæ matris consolatur. Eam namque ob causam Deus matri se comparat Esaiæ 49. *Nunquid obliuisci potest mater infantem suum, & non misereatur filio uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.* Et cap. 66. *Quomodo si cui mater blandiatur: ita ego consolabor vos?* Quod autè sancti in hac vita plorare dicantur, quasi à persecutoribus vapulent, demonstrat locus ille Psal. 125. *Euntes ibant, & sicut mittentes semina sua.* Eandem sanctorum in patria cõsolationem iisdem ferè vt bis præ-

Beatos Deum
instar matris
consolatur.

Esai. 49. 15.

Esai. 66. 13.

Psal. 125. 6.

Esai. 15. 8.

Euf. Cesar.

Ezech. 10.

nunciavit Esai. c. 25. *Præcipitabit mortem in sempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie.* Quamquam Euseb. Cesariensis lib. 4. demonstrationis Euangelicæ c. 12. hunc locum Esaiæ interpretatur de redemptione mundi facta per Christum, in qua ait Christum nostrorum peccatorum maculas absterxisse: sed sine dubio potest etiam referri ad statum gloriæ. Cõcinit cum hac Ioannis, & Esaiæ sententia illud, quod ostensum fuit Ezech. c. 10. Nam cum primo capite mostrata ei fuissent illa quadriformia animalia, quorum singula quatuor facies habebat, leonis, hominis, bouis, & aquilæ; decimo tamen capite, vbi eadem visio replicatur, pro facie bouis facies Cherub apparuit: quo fit, vt bouis facies in faciem Cherub conuersa fuerit, certè ad hoc ipsum, de quo agimus, exprimendū: sanctorū enim facies in hac vita mortali facies bouis est in arca laborantis, & ludantis, quæ tamè postea in faciem Cherub pulcherrimam commutabitur, absterxis videlicet lacrymis, deterso puluere, denique mortalitate in immortalitatis gloriam conuersa.

ARGUMENTVM.

Iam hic incipit tertia visio huius operis. Cum igitur in superioribus Ecclesie per tyrannos persecutiones ante Constantini tempora fuerint commemorata, ipsæ per Constantinum compressis Ecclesie pax (quod spectat ad tyrannos) iterum reddita, deinceps narratur eiusdem per hæreticos, principesque eorum fautores diuexatio. Hoc igitur capite sigillum septimum aperitur, quo aperto admiranda sanè prodigia Ioanni apparuerunt, quæ priusquam explicemus, ipsa imaginaria visio describenda est. Quod igitur attinet ad visionem imaginariam, primum commemorat Ioannes factum fuisse silentium in cælo quasi media hora. Secundo vidit septem Angelos stantes in conspectu Dei, quorum singulis data sunt singule tube. Tertio venit alius Angelus, & stetit ante altare habens thuribulum aureum, cui data sunt incensa multa, vt offerret ante altare aureum.